



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

GP  
50  
105




Gp 50.105




Harvard College Library

FROM

Rhein. Friedrich Wilhelm  
University.





Röder, Hermann 1875.

Gf 50.105

DE

# MVNDI MIRACVLIS

## QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
QVAM  
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN  
VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA  
RITE OBTINENDORVM CAVSA  
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS  
DIE XXVII MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCLXXV  
PVBLICE DEFENDET  
SCRIPTOR  
**HERMANNVS DE RÖHDEN** <sup>Von</sup> <sub>=</sub>  
BARMENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT  
GVSTAVVS HEYLBVT STVD. PHIL.  
RVDOLPHVS BALLHEIMER STVD. PHIL.  
AVGVSTVS FRESENIUS DE. PHIL.

---


9 BONNAE  
TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.,  
1875.

Gp 50,105

1876 June 7.  
Gift of the

Rhein-Friedrich-Wilhelms Universität,  
Bonn, Germany.

**PATRI CARISSIMO**



,De septem orbis miraculis ueterum locos collegerunt Leo Allatius et Io. Conr. Orellius ad Philonis de iis libellum, neque effecerunt tamen ut aut quando et a quo is numerus sit constitutus aut quomodo in eligendis mirabilibus operibus ipsis uariatum sit appareat.“ Quae Haasii sententia ante hos uiginti duo annos prolata<sup>1</sup> haud scio an nostro quoque tempore ualeat. neque enim multa Orellianis adiecta sunt nec talia quibus hanc de orbis miraculis quaestionem promotam aliquantum, nedum absolutam dicere possis. Haud parui autem momenti esse accuratam harum rerum disquisitionem ad notitiam antiquorum et studiorum et literarum integrandam, non infitiabitur qui cumque quam gratae acceptaeque omnibus inde ab Augusti aetate scriptoribus fuerint perspexerit. Verum ut egregiae spei, ita magni sane haec quaestio laboris est. quae ut certa ratione ac uia progrediatur, primum quaecumque in ueterum libris de terrarum miraculis traduntur congerenda sunt, congesta inter se comparanda singillatimque perpendenda, tum demum qui miraculorum numerus primus ubi et quando uideatur constitutus esse, qui scriptores primi eum uariarint, quem denique ordinem posteri elegerint quaerendum est. quae cum neglexerit B. Star-

1 Gregor. Turon. l. de cursu stellarum p. 29. Vratislauiae  
1853 ed.

kius qui nuper ueterum locos composuit<sup>2</sup>, multum operaे frustra impedit.

Quid quod ne in his quidem ueterum scriptorum testimoniis acquiescere licet? plures enim fere in libris Byzantinorum aetate manu scriptis seruati sunt anonymi de mundi miraculis commentarioli qui, quantum ad ea quae aliunde nota sunt confirmanda ac supplenda ualeant, uel paucis illis qui publici iuris adhuc facti sunt docemur. nouis quidem nec exiguis eiusmodi auxiliis quod ipse instructus sum, praeceptorum uirorumque amicorum benevolentiae debeo, sed ex ipsis eis frustulis id unum cognoui iudicare de his rebus nemini licere nisi omnibus antea quae in uetustioribus libris extant conlectis et examinatis.

Quae cum ita sint, plenam de mundi miraculis disquisitionem ad aliud tempus remittendam putaui. interim tamquam promulsidem duo quae separatim tractari possunt capita eaque neque aliena ab hac quaestione neque, ut spero, quae accuratius inspiciantur indigna in medium proferam. sunt autem ea de Ampelii libri memorialis capite VIII et de Philonis Byzantii περὶ ἐπτὰ θεαμάτων libello.

<sup>2</sup> in commentatione »koenig Mausollos und das Mausoleum in Halikarnass.« inscripta (Eos I. (1864). p. 345 — 400. cf. in primis p. 346 sq. 383 sqq.). errauit igitur M. Schmidtius qui (Mus. Rhen. XX p. 298) Haasium de mundi miraculis nouissime uerba fecisse dixit.

## I.

## De Ampelii lib. mem. capite VIII.

Inter nouem priora Ampelii<sup>3</sup> libri capita, quamuis magni pretii omnia sint, octauum illud quod „de mundi miraculis“ inscribitur rerum nouitate locum obtinet singularem. cui quamquam nonnulla insunt uerissime tradita, quae aut non inueniuntur nisi hic aut ab aliis eisque locupletibus testibus adfirmantur<sup>4</sup>, magna tamen rerum narratarum pars tam inepta uidetur tamque ab omni fide abhorrens, ut de ceterarum quoque fide uix possis non dubitare. De singulis autem quo melius queat iudicari, grauiissimum est atque necessarium unde sua hauserit Ampelius cognoscere.

Atque quis credit e uariis scriptoribus eisque omnibus <sup>num scrip-</sup>  
ptorsingula  
 ignotis eum singula conlegisse? nam ne unam quidem ui- <sup>ipse conle-</sup>  
 deo rem quam ex eorum qui nunc extant scriptorum libris  
 excerptam esse iure tibi persuadeas. sunt certe qui hoc

3 Ampelius ille quis fuerit quoque tempore uixerit prorsus ignotam est. id unum enim constat librum mem. post Traiani tempora scriptum esse. quamquam quoscunque video de Ampelio post Woelffinum dicentes (cf. eiusd. dissert. Gottingae 1854 ed. p. 49 et Pauly. R.-Encycl. I p. 882. Teuffel. RLG<sup>2</sup> p. 808. Bernhardy. RLG<sup>5</sup> p. 756. Baehr. RLG<sup>4</sup> II p. 272. Halm. Philol. I p. 703. Urlichs. Mus. Rh. XVII (1862) p. 634 m. Zink. Eos II p. 327 in.) ii aut secundi saeculi posteriori aut tertii priori parti Ampelium adscribunt. sed uero ne certa Glaeseri et Woelffini argumenta illi habeant quae nequaquam certa sunt. actatis potius aliquanto inferioris scriptoribus Ampelium recte olim adnumeratum esse, et mihi persuasum est et aliis aliquando me probaturum confido.

4 cf. e. c. Brunn. Bull. dell' Inst. 1871 p. 28 sq. — Wustmann. Mus. Rhen. XXII p. 181 sq.

*de Phidias Mineruae clipeo* opinentur. quorum, ut alios omittam<sup>5</sup>, Engelmannus<sup>6</sup> Ampelii de clipeo Mineruae narrationem e Valerio Maximo (§ 10).

(VIII. 14, 6) esse sumptam arbitratur. sed ipsum audi dicentem: „so gut nun diese erzaehlung auch zu dem charakter der ganzen zeit (sc. Ampelii) paszt, glaube ich doch nicht dasz uns Ampelius hier eine unter dem volk verbreitete fabel erhalten hat, sondern dasz er sich einfach von seinem gewahrsmann hat taeuschen lassen, der wiederum seinerseits blos aus einem misverstaendnis zu einer solchen erzaehlung gekommen ist.“ Valerium enim Ciceronis duobus locis (orat. 71, 234 et Tusc. I 15. 34) male conflatis perperamque intellectis insulsae fabellae auctorem posteris extitisse autumat<sup>7</sup>; immemor ille quidem — id quod uel ex locis ab Ouerbeckio (schriftqu. p. 122) compositis cognoscere potuit — non apud Valerium solum, sed etiam in (Aristot.) mirab. ausc. cap. CLV West. eandem legi narratiunculam. Sed posteriorem illius farraginis

5 ut Zinkium qui (Eos II 1865 p. 319 m.) ita de hoc capite indicauit: »wol das verdorbenste, uebrigens nach seinem inhalt sehr bezeichnend fuer den bildungsgrad des vf. die curiositaeten die sich hier zusammengestellt finden und die erstaunlichen uebertreibungen in fast allen zahlenangaben — zeigen deutlich dasz Amp. von den aufgefuehrten sehnswuerdigkeiten wol keine einzige aus autopsie kannte, sondern in ausnehmender gedankenlosigkeit aus andren werken compilerte. zugleich charakterisieren sie denselben als einen nicht blos hoechst leichtglaeubigen, sondern auch aeuszerst aberglaeubischen mann, obwol manche jener unmoeglichen angaben von groeszenverhaeltnissen den abschreibern zur last fallen mag.«

6 Arch. Ztg. XXVI (1868) p. 107 sq.: Zum schild der Parthenos.

7 l. l. »(Valer.) kombinierte eben beide stellen, indem er nur das was in der ersten bedingungsweise ausgesprochen war als factum hinstellte und somit seinen nachfolgern gelegenheit zu groszartigen irrtuemern gab, uns aber zu einer falschen beurteilung seiner zeitgenossen veranlaszte.«

partem non ante tertium p. Chr. n. saeculum prioribus adiunctam esse constat et περὶ κόσμου libellus, e cuius capite VI eam fabulam adparet haustum esse, dubium est num ante Valerii aetatem scriptus fuerit<sup>8</sup>. non nego. at libelli π. κόσμου scriptorem talia e Valerii libris excerptisse quis credet? et quoniam modo ab huius uerbis „in clipeo effigiem suam inclusit“ pleniora et accuratiora ἐν μέσῃ τῇ ταύτῃ ἀσπίδι τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον ἐντυπώσασθαι καὶ συνδῆσαι τῷ ἄγαλματι διά τυρος ἀφανῶς δημιουργίας illum esse mutuatum censemus? atque eadem dicenda de Ampelio sunt. nam licet Engelmanno concedamus, ea re quod Valerius de Phidiae, de Daedali effigie<sup>9</sup> Ampelius scripserit, hunc alium quendam auctorem secutum esse non euinci: euincitur eo quod, quae antecedunt et secuntur, apud Valerium non leguntur. ac sunt profecto ea grauissima. etiamsi enim alio testimonio non confirmantur, uerissime tamen „cuius ad sinistrum clipeus appositus quem digito tangit“ ab Ampelio dicta esse ex artis monumentis nunc compertum habemus<sup>10</sup>, itemque quae de deae hasta tradidit magnam ueri speciem habere Wust-

8 cf. F. Adam. de auctore libri ps. aristot. περὶ κόσμου. Berol. 1861. C. Muellenhoff. Deutsche Altertumsk. I p. 318 sq.

9 Daedali nomen si quis ab Ampelio Phidiae loco substitutum esse contendet, non refragabor. quis enim nescit, ut Daedali ita Phidiae nomen posteris, cum de eius persona et uite nihil iam constaret, — ac mira sane tunc temporis de eo fabulabantur. cf. Ouerb. schriftqu. n. 739 et Cosmæ comm. in Greg. Naz. carm. CXIX apud Mai. spicileg. rom. II p. 263 in. — non ualuisse nisi summum et propemodum diuinum artificem? cf. (Menand.) π. ἐπιδεικτ. (Rhet. Gr. III p. 445, 15 sq. Sp.) ἐπὶ τούτοις ἐκφέσεις τὸ ἄγαλμα τοῦ θεοῦ περαβάλλων τῷ Ὄλυμπῳ Διὸς καὶ Αθηνᾶς τῇ ἐν ἀκροπόλει τῶν Αθηνῶν· εἰτα ἐπάξεις, ποῖος Φειδίας; ποῖος, Δαιδαλος τοιούτοις ἐδημούργησε ξάνθον;

10 cf. Ouerbeck. Gesch. d. gr. Plast. I p. 225, 18 sq. O. Mueller-Schoell. arch. Mittligr. p. 69, 12 sqq. 70, 6 sq. A. Conze. die Athenastatue des Phidas (Halle 1867) p. 6, 15 sqq.

mannus ll. demonstrauit. unde efficitur praeter Plinium (NH. XXXVI, 18) et Pausaniam (I. 24, 5. 7) de statuae habitu accuratiora neminem dixisse Ampelio. Satis docto igitur eum auctore usum esse patet. qui cum eandem atque libelli π. κόσμου scriptor et Valerius de Phidiae imagine fabulam narrauerit, nec tamen ea ratione, ut ex altero utro esse sumpta possit, re uera perquam antiquo tempore<sup>11</sup> eam peruolgatam fuisse consequitur.

Sed haec hactenus. id unum quidem hoc exemplo me inlustrasse opinor, summopere nobis cauendum esse ne, opinione praeiudicata ducti, Ampelium „hominem superstiosissimum“ e uariis scriptoribus quae sibi placerent elegisse, electa autem qua fuerit socordia et stupiditate peruerse interpretatum composuisse fingamus.

de Woelfflini iudicio. Rectius uero de scribendi eius ratione Woelfflinus (diss. p. 23) ita existimat: „constabit — Ampelium in singulis opusculi sui partibus, prouti ferebat argumenti diversitas, singulos sibi auctores quasi duces elegisse eosque ad uerbum fere descriptsse, nisi quod argumentum presius et parcus perscriberet. — mihi sane totus liber mem. ex auctoribus admodum paucis excerptus esse uidetur.“ Quae si uera sunt, etiam in hoc capite unum eundemque Ampelio auctorem fuisse consentaneum est. ita se rem habere num senserit Woelfflinus nescio, quia planis uerbis suam de hac re sententiam aperire euitauit. at alind quid agnouisse ille sibi uisus est, quod non una ex parte ad hanc quaestionem pertinere adparet. e duabus enim partibus totum caput compositum esse monet (diss. p. 46), altera maiore quae §§ 1—17 et 24. 25 comprehendat, altera minore (§ 18—23) qua miracula mundi proprie dicta enumerentur. et hanc quidem in uniuersum cum Hyg. fab. 223

11 nullus enim dubito quin Cicero quoque eandem fabulam nouerit, sed ipsa sua interpretandi ratione voluerit quaenam uera fabellae sententia sit, inlustrare.

et Vibi Seq. appendice congruere intellexit, priora unde desumpta sint prorsus nescire sese confitetur. De minore parte num recte iudicarit ille infra uidebimus, in maiore autem quae tradidit Ampelius omnia uni illum auctori debere nunc ostendam.

de maioris  
partis ra-  
tione.

Etenim non temere ille quae quoque loco memoratu digna uel audiuerat uel legerat uel ipse uiderat coaceruauit, sed certo consilio terrarum ordine recte seruato ab uno ad alterum processit. id quod eo maioris esse momenti duco, quia inter omnes adhuc editas mirabilium conlectiones<sup>12</sup> una haece perinde atque prima illa θαυμασίων καὶ παραδόξων συναγωγή Callimachea κατὰ τὸ ποντικόν est composita.

Iam singula introspiciamus. ab Apollonia Illyriae urbe profectus de Ambracia Argisque Epiri oppidis, deinde de Leucade insula quae memorabilia arbitrabatur scriptor exposuit. Peloponnesi urbes secuntur celeberrimae Sicyon Argos Olympia Corinthus. unde in Helladis quae ad orientem spectant regiones transuectus locum Amphiaraos sacrum adiit, inde Athenas. De Thessalia Macedonia Thracia nil additur; subsequentia uides omnia de Asiae quam dicunt minoris locis conscripta et ita quidem, ut Ilium prius Ephesum Samum scriptor attingat, addat deinde, certa ut equidem opinor causa commotus, quae Pergami Iasi (nam uerissima haec est Urlichsii emendatio) Bargylis, denique Magnesiae cognitione digna sibi uisa sint. Iam altera illa minore parte alterius continuatio interrumpitur, qua finita de Aegypti quibusdam miraculis certiores sumus. quod autem in fine capitilis (§ 25) adiectum est falso tamquam de nouo miraculo dictum interpretantur, quoniam artissime

12 et illis hoc caput adnumerandum esse nemo negabit, quamquam in ceteris de mirabilibus operibus certis de causis aut nulla aut pauca dicta sunt.

cum proximis cohaeret: nimirum causam addere scriptor  
noluit, cur fluminis ibi simulacrum idque tam mirificum  
esset. quam monuit eam esse, quod Alexandriae i. e. in  
Aegypto Nilum flumen maxime colerent, eodem scilicet  
modo atque Athenis i. e. in Graecia Iouis Olympii signum.

e capitinis ratione quid sequuntur.

Quodsi ab uno eodemque scriptore haec mirabilia ac  
certo eoque quo significauit consilio conlecta esse recte suspi-  
cati sumus, id porro dubium esse nequit, quin id temporis  
spatium, intra cuius fines singulas narrationes ualuisse ex-  
plorauerimus, ad ipsam *παραδοξογράφον* illius aetatem de-  
finiendam aequo iure adhiberi possit. antea autem quam  
singula accuratius percensemus, de §§ 18—23 ad certum  
quoddam oportet iudicium perueniamus.

de interiori  
cta minore  
parte  
§ 18—23.

Atque illud profecto quod Woelflinus (diss. p. 46)  
dixit capitis hanc particulam in uniuersum cum Hyg. fab.  
223 et Vibi Seq. appendice congruere, nemo non potuit  
intellegere. quod ut perspicuum fiat, Varronianum<sup>18</sup> illum  
septem mundi miraculorum ordinem, quem et locis adlati  
et apud Cassiodorum (uariar. l. VII. 15.) legimus, cum Ampe-  
liani capitis uerbis in tabula (p. 10. 11) adiuncta compositum  
quaeso perlustres. uidebis, opinor, non ordine solum eodem  
eadem miracula posita ubique esse, sed ipsa quoque uerba  
in singulis scriptiunculis inter se se ita plerumque consen-

18 »Varronianum« liceat hunc ordinem adpellem, etsi non  
nescius sum, Varroni placuisse eum a nullo scriptore traditum esse.  
sed si recte M. Schmidtius (Mus. Rh. XX p. 298) perspexit Hy-  
gini qui dicitur capita 221—223 e Varronis hebdomadibus originem  
duxisse, (quam sententiam quae ueri similis C. Bursiano uisa est  
(in Fleckeiseni annal. XCIII 1866 p. 781) certis arbitror argumentis  
me probare posse): hunc ordinem, quem saepe in Latinis, in Graccis  
libris nusquam repperi, non receptum solum, uerum etiam constitu-  
tum a Varrone esse summam habet probabilitatem. — Ceterum quae  
conferantur, nec refellantur digna Woelflini (diss. p. 40 fin.) uerba  
sunt »Hyginus, quem et Ampelius cp. VIII § 18 seqq. respexisse  
uidetur«. quam sententiam uir doctissimus ipse, opinor, iam pri-  
dem reiecit.

tire, ut de uno et communi fonte dubitare non possis. sed haec quantumuis certa sint, sunt tamen in Ampelii uerbis quae magnopere a ceteris differant, quaeque neque a priore huius scriptiunculae auctore deprompta esse neque ab ipso scriptore facta nec multa multorum saeculorum retractatione deprauata dixeris. Quid? ipse Zinkius, quem asperrime uidimus (cf. not. 5) de eximia scriptoris <sup>de Cyprio Louis signo</sup> socordia locutum esse, nonne post „Cypri“ (§ 20) lacunam satis magnam statuere, quam tantam ignorantiam uitio uertere Ampelio maluit? de lacuna autem quod dixit id aperte falsum est, quoniam Cypri nihil est quod ab ullo unquam inter septem miraculorum numerum sit receptum. atque ipsa haec septem hic enumerari ne Zinkius quidem infitiabitur. Cypri autem nomen priusquam unde hoc loco ortum sit explanem, quae de Rhodiaco Solis signo scriptor narravit consideranda sunt. <sup>de Rhodiaco solis signo</sup> De Charetis Lindii uidetur colosso loqui qui, in orbis miraculorum numerum a permultis relatus, apud ceteros quoque meae tabulae scriptores eodem loco nominatur. sed quid illi cum quadriga? ipsumne Ampelium haec commentum esse putas? at fuit profecto Rhodi „quadriga cum sole Rhodiorum“, Lysippi opus celeberrimum, quod unum, cum a. u. 712 urbem Cassius despoliaret, relictum <sup>14</sup>, postero tempore „inaurari iussit Nero princeps, delectatus admodum illa (statua)<sup>15</sup>. Sequitur Lysippe, non Charetici signi

14 cf. Cass. D. XLVII, 38. (*Κίσσιος*) τὰς δὲ δὴ ναῦς καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ ὄστα καὶ τὰ ιερὰ πλὴν τοῦ ἀρμάτος τοῦ ἡλίου παρεσπάσατο.

15 Plin. NH. 34, 63 ex emendatione Bergkii (Exercit. Plin. I. Marburgi 1847). quam eandem ipse inuenisse uidetur Brunn. (KG. I p. 360 sq.), probatam Ouerbeckio (schriftqu. n. 1460. gesch. d. gr. Pl. II p. 92). Statuam Romam aduectam esse, fortasse ab ipsis Rhodiis Neroni dono datam, Bergkius existimat (cui adsentitur Ouerb. schriftqu. II.). sed licet haec ualde probabiliter dicta sint, ex Plini uerbis me iudice necesse non est conligantur. — Primum me opinabar hos de Lysippe Solis signo locos inuestigasse, sed eosdem nunc video a Schneiderwirthio iam adhibitos esse, quamquam

**Hygin. fab. CCXXXIII**  
(p. 131 ed. M. Schmidt.)

*Septem opera mirabilia.*

1. Ephesi Diana templum quod fecit Amazon Otrera Martis coniunx.
2. Monumentum regis Mausoli lapidibus lychniticis altum pedes LXXX circuitus pedes CIOCCCXL.
3. Rhodi signum Solis aeneum, id est colossus, altus pedibus XC.
4. Signum Iouis Olympii quod fecit Phidias ex ebore et auro sedens pedes LX.
5. Domus Cyri regis in Ecbatanis, quam fecit Memnon lapidibus uariis et candidis uinctis auro.
6. Murus in Babylonie, quem fecit Semiramis Dercetis filia latere cocto et sulphure ferro uinctum, latum pedes XXV, altum pedes LX in circuitu stadio rum CCC.
7. Pyramides in Aegypto quarum umbra non uidetur altae pedes LX.

M. Schmidtii adn.: 1. Otrira F (cod. Frising.): corr. Mu(ncker). 2. munimentum F: corr Comm(ellin). || lychniticis F: lychnitis Salmasius: corr. Mu. — 6. CCCLX Bochart. Phaleg. I, 12 [?]. — 7. DCCCCCLX Sch(effer). DC Mu. ex Vibii Seq. ms. Reuui append. p. 163 ed. Hessel. et Ampelio p. 20 [ed. Amstelod. 1702], qui eundem operum mirabilium seruarunt ordinem.

**Vibi Sequestris de flumin. etc. lib.**  
appendix e cod. Vatic. 4929 fol. 149<sup>b</sup> descripta  
(ed. Burs. p. 20).

*Septem mira.*

1. Aedis Dianae Epheso quam constituit Amazon.
2. Mausoleum in Caria altum pedes CLXXX et in circuitu pedum CCCC: ibi est sepulcrum regis lapide lychnite.
3. Colossus Rhodi altus pedes CV.
4. Ionis Olympi factus a Phidia ex ebore et auro pedum C.
5. Domus regia in Ecbatanis quam Memnon aedificauit lapidibus candidis et uariis auro uinctis.
6. Murus Babylonis latere cocto, sulphure et ferro uinctus, latus pedes XXV [XXXII], altus pedes LXXV [L cubitos], in circuitu stadiis DCCC [CCC LXVIII]. Hunc regina Semiramis aedificauit. [Pensiles etiam horri super arcem ipsius urbis aequante altitudinem muri pro miraculo habentur.]
7. Pyramides in Aegypto latae et altae pedes DC.

C. Bursiani adn.: 2. Mausoleum V(atic cod.) || ped V. — 3. ped V. — 6. ped V. numeri et uerba uncis inclusi m. pr. in margine adscripti in V. || ped V. || cub V. orti V. — 7. ped V. — [Eandem de notis septem mirabilibus in orbe manifestis dissertationiculam e cod. bibl. reg. (Berol. 366. sc. XV. fol. 69<sup>b</sup> descriptam meo regatu mihi misit Fridericus de Duhn amicus. quam e cod. Vat. non fluxisse cum aliis, tum eo confirmatur quod, quae in Vat. m. pr. addita sunt, in cod. Berol. non reperiuntur. eadem teste Adolfo Michaeli in cod. (Vat.) reginae 581 saec. XIV fol. 23 (cf. Pompon. Mela ed. Parth. praef. p. XIII) et in cod. Vat. 3409 (sc. XV), fol. 119<sup>b</sup> septem miraculis mundi clarissimis incipit et alias saepe in codicibus legitur.]

**Ampelii l. mem. cap. VIII, § 18—23.**  
(p. 9, 3 seq. ed. Woelffl.)

1. Aedis Dianaë Epheso est quam constituit Amazon.
- (2.) ibi et sepulcrum Icari stertentis quasi dormiat mirae magnitudinis ex orichalco et ferro.
3. Rhodi colossicum signum Solis altum \*\*\* super columna marmorea cum quadriga. columna vero habet cubitos centum.
4. Cypro signum Iouis Olympii aereum facies ex auro, quem fecit Phidias † in cubitis centum quinquaginta et latum cubitis sexaginta.
5. Domus illic Cyri regis aedificata lapidibus candidis et nigellis auro iunctis, ubi sunt columnae diversis coloribus et innumerabiles lamnae ferreae, fenestrae ex argento et tegulae ex lapide prasino.
6. Murus intus medio Babyloniae quem Memnon aedificauit lapide cocto et sulfure ferro intermixtus ubi sunt iuncturae. Latitudo eius cubitis triginta, altus cubitis centum et triginta. cingitur milia passuum triginta. Hunc coepit Semiramis, filius eius perfecit.
7. Pyramides in Aegypto, quas aedificauit \*\*\*.

Woelfflini adn. [adiunxi lectiones a viris doctis propositas]: 1. aedis C(od): aedes E(ditores ante Woelffl.) || est om. E.—(2.) ibi et an »ibi est«? W. ibi est simulacrum Satyri stertentis [quasi dormiat] mirae sq. Zink. || ex erocaleo. C. — 3. rodi C: Rhodo E. || colossicum C. Fr. Hermann: colossi CE altum \*\*\*: lacunam uidit Halm. — 4. post Cypro haud pauca excidisse putat Zink. »denn solehe ignoranz dafz die weltberuehmte statue des Phid. in Cypern gewesen, ist nicht anzunehmen. || † in] altum T(zschuck.). prob, Zink. || latum. T: lata C. — 5. illic] immo »Eobatsnis« W. || iunctis C: iunctis E. || lamnae W ex Polyb. X 24 [immo 27]: lanciae C: lanceas E. || ferreas fenestras C. || tegulas C. || Ecbatana (uel — is) \*\*\*. domus illic Cyri regis — tegulae ex lapide prasino. Intus medio \*\*\*,

**M. Aurelii Cassiodori nar. l.VII. 15.**  
(in Mignei Patrol. LXIX p. 719.)

Ferunt prisci saeculi narratores fabricarum septem tantum terris attributa miracula.

1. Ephesi Dianaë templum.
2. regis Mausoli pulcherrimum monumentum, a quo et Mausolea dicta sunt.
3. Rhodi solis aeneum signum quod colossus vocatur.
4. Iouis Olympici simulacrum quod Phidias primus artificum summa elegantia ebore auroque formauit.
5. Cyri Medorum regis domus quam Memnon arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricauit.
6. Babyloniae muri, quos Semiramis regina latere cocto sulphure ferroque construxit.
7. pyramides in Aegypto quarum in suo statu se umbra consumens, ultra constructionis spatium nulla parte respicitur.

quam Memnon aedificauit. Murus Babyloniae seqq. Zink.: Ecbatanis in Media [pro: intus medio]. domus illic — prasino, quam Memnon aedificauit. Murus Babyloniae lapide cocto sq.: Eussner. — 6. post »cocto« C. addit: »id est calce« quae uerba eieci W. [cf. eiusd. diss. p. 18.]. || latere M(unccker) ex Hyg.: lapide C. || ubi D(uker): ut C. — 7. supplendum est n. pr. Cheops uel Moeris addendumque »altae pedes sexcentos« ut apud Hyg. fab. 223 (uulgo »sexaginta«) ex auctoritate Vib. Seq. app. 7 aliorumque restituendum est: W. (diss. p. 19): »Cheops« excidisse putat Zink.

mentionem hoc loco fieri. qua in re summopere dolendum est quod, cum de eius statuae forma et loco e Plini et Dionis locis nihil constet, unum illud Ampelius memorandum duxit super columnna marmorea eam positam fuisse, rem uix credibilem. nam etiamsi loco satis edito et ab omni parte conspicuo quadriga sine dubio conlocata erat, unam tamen columnam quominus basim fuisse cogites multa impediunt. quodsi parum accurata dictione Ampe- lium in hac re uti certum est, aut cum Schneiderwirthio (cf. not. 15) „columnam“ pro ingenti marmorea basi, aut, id quod non una de causa praestare puto, pro porta columnata habebimus, qualem Corinthi Solis quadrigam sus- tinuisse comperimus<sup>16</sup>. quae autem in Ampelii capite secuntur „columna uero habet cubitos centum“ nullius pretii sunt, quoniam, ut in omnibus fere, quos in libris manu scriptis eius generis traditos uides, commentariolis, ita in hoc quoque numeri corruptissimi inque maius aucti sunt<sup>17</sup>. C. F. Hermanni denique conjecturam „colossicum“ is unde sua hauserit non adnotauit. ita enim de eadem statua dixit (Gesch. d. Ins. Rhodos p. 198) »ebenso zeichnete sich durch seine groesze u. schoenheit der sonnentempel aus, — geschmueckt vor allem mit dem hochberuehmten werk des Lysippus auf gewaltiger marmorner basis, mit dem prachtvollen sonnenwagen, einem vier- gespann mit dem gotte, dargestellt mit der strahlenkrone um das haupt, einem werk das den Rhodiern allein gelassen wurde, als der pluenderer Cassius sie fast aller kunstschaetze beraubte«.

16 Paus. II, 3. 2. ἐξ τῆς ἀγορᾶς ἔξιόντων — προπύλαιά ἐστι καὶ ἐπ' αὐτῶν ἀρματα ἐπέχρουσα, τὸ μὲν Φαέθοντα —, τὸ δὲ Ἡλιον αὐτὸν φέρον. sed uide ne obstent Plini uerba (NH. 84, 27) »Co- lumnarum ratio erat attolli supra ceteros mortales, quod et arcus significant nouicio inuenio.« cf. Urlichs. Chrestom. Plin. p. 308.

17 Fortasse haec de ingenti columna facta quodammodo cum eorum opinione cohaerent quos postero tempore colossum ipsum columnam perexcelsam putasse uariis locis legimus. cf. e. c. Ouerb. schriftqu. 1551. — Montfaucon. diar. Ital. p. 272 ex cod. gr. Baluzii descript. — cod. Monac. 794 (Victor. 99) p. 345. (cf. Seeck., Herm. IX p. 223). sed mittam hoc quod in conjectura positum est.

dubitacionis sat multum habere patet, cum in codice legatur „colossi“ cumque Lysippi signum colossicum fuisse nemo tradiderit. sed nihil, opinor, his uerbis de colosso Ampelius, sed de Lysippi statua dixerat inter septem miracula nunquam numerata, postea nescio quis uerbis „Rhodi signum Solis“ deceptus de colosso agi arbitrabatur. Quam sententiam paragrapho proxima egregie confirmari puto, ubi aequae atque in ordine Varronianum Iouem Olympiacum Rhodiaco Solis signo adiunctum, sed Cypri illum ineptissime positum cognouimus. duobus igitur his locis (nam de § 18 infra dicam) ordo miraculorum Varronianus non interruptus est, sed quae in eo et mirabilia fuisse commemorata et uerba adhibita ex Hyg. fab. 223, e Vibi Seq. appendice, e Cassiodori loco intellegimus, ea cum alienissimis miro modo permixta sunt.

Iam memineris uelim, de terrarum ordine in mirabilibus locis operibusque enarrandis semper ab Ampelio seruato cum supra exponerem, interiectum me monuisse inter Asiae minoris et Aegypti mirabilia hunc esse de miraculis Varronianis commentariolum. Sed magno sane interullo ab Asiae quos Ampelius memorauit locis Aegyptus seiungitur, quapropter non sine causa tanquam in longo itinere stationes aliquot intermissas circumspicies. quas autem requiris, eae adsunt atque in ipsa quidem quam Woelflinus agnouit interiecta minore parte. Rhodi, quae proxima Asiae litori insula est, Solis quadriga Lysippi opus insigne eminebat, Cyprio deinde Iouis signo nescio quo<sup>18</sup> commemorato de Aegypti miraculis scriptor locutus est.

Quae omnia si reputaueris, aliter ac Woelflinus mecum,  
de corruptae origine.

18 nulla enim causa est cur de Iouis signo Cyprī maxime nobilitato — fortasse etiam de templo, nam ad aedem quandam, nec ad simulacrum qui secuntur numeri pertinere uidentur — Ampelium hoc loco dixisse negemus, quoniam praeter Venerem in summo apud Cyprios honore Iouem fuisse constat. (cf. Engel. Kypros II p. 661 sqq.)

ut spero, de §§ 18—23 iudicabis. Inde ab Illyrico fonte usque ad Nili fluminis simulacrum quaecumque Ampelius narrauit, ex unius omnia scriptoris mirabilium coniectione deprompsit, sciolus autem quidam cum Rhodium Solis signum eique proximum Iouis inter mundi miracula numeratum uidisset, notissimum eo tempore Varronianum septem miraculorum ordinem, quippe in quo simillima traderentur, margini adscripsit. quo factum est ut postero tempore Varroniana miracula in Ampelii textum irreperent, ita tamen ut § 20 et 21 (et § 18) ipsius Ampelii uerba cum uerbis e margine inlatis misere confunderentur. sic tantum, qua de causa Dianaë Ephesiae templum bis commemoratum sit, cur totius capitinis haec particula pessime corrupta ineptiis et lacunis scateat<sup>19</sup>, probabiliter posse explicari opinor.

de Icari  
sepulcro  
(§ 18).

Sed ut tandem aliquando hanc de his paragraphis quaestione absoluam, uideamus nunc de § 18, de qua quid sentirem aperire distuli. sunt autem ibi quoque Ampelii uerbis admixta aliena. quid enim sepulcrum Icari stertentis sit nemodum explicauit. quae cum corrupta esse pateat, libenter Zinkio scribendum esse „simulacrum satyri“ concedemus, dummodo exponat quemadmodum Icari nomen in „satyri“ locum substitui a scribis potuerit. corruptela autem non ita difficilem habet, si me audis, explicatum. etenim quod secundo ordinis Varroniani loco constitutum est miraculum Mausoli regis sepulcrum intercidisse § 18, lacuna autem Icari sepulcri mentione expleta esse uidetur. sed ubi Vibi Seq. appendicis uerba contuleris „mausoleum in Caria —. ibi est sepulcrum regis“, quae uel eadem uel paullulum uariata (uelut „regis sepulcrum in Caria, ὁ ἐν Καρίᾳ τάφος, ὁ Καρκίως τάφος sim.) saepissime in eiusmodi commenta-

19 »Domus illic Cyri« (§ 21) quod omnes editores interpretesque magnopere pupugit, ab Ampelio non scriptum esse uel inde intellegitur, quod semper ille »ibi« uocula, »illic« nusquam usus est.

riolis, Varronianus admodum similibus, reperiuntur: quin Ampelii uerba secundi miraculi Varronianus reliquiis contaminata sint, non dubitabis. Ampelius ipse quae scripscerit restitui posse nego, praesertim cum ne id quidem certum sit quodnam Asiae oppidum miro stertentis signo ornatum fuerit. uidentur tamen, nisi quid intercidit, electis quae falso hoc cum ceteris irrepserunt „aedis Diana — Amazon“ uerbis, de Magnesia haec dicta esse.

Ad ea nunc uenio quibus hanc de § 18—23 disputationem praemittendam putau. ut enim quo tempore quoue auctore mirabilia haec conlecta quid ualeant decerni possit, accuratius iam singula examinemus oportet. quam rem, ne nimis accrescat libellus, ita instituam ut non tam uerba Ampelii emendare coner, quam res ipsas respiciam atque eas quidem, ad quas explicandas noui aliquid addendum aut de quibus rectius iudicandum esse censeo.

Atque ut a § 1 ordiar, magna est et longinqua uiorum doctorum de corruptis primis uerbis dissensio. quid enim? cum hoc terrae miraculum decantatum sit, a nullo que fere qui regiones Illyricas attingit non memoretur, inter multas urbes Apollinis nomine ornatas quae dicta sit dubitari nequit. sed urbis nomen quae subsecuntur uerba „etcathamant...“ (fort. cathamantie W.) dubitationem mouent. „Athamania“ enim, quod nomen a Salmasio receptum, si literas spectas, proximum uero uidetur, ueram lectionem esse primus Dukerus negauit, quia Athaman(t)ia regio Aetoliae uicina remotiorque ab Apollonia fuisse. De Tantantia inde cogitabant, Atintania, Amantia<sup>20</sup>, postremo sagacissime Urlichsius ll. graece scriptum fuisse τῆς οἰκτὸν Ἀθαμανίαν suspicabatur. at equidem uereor, quamuis multis hoc probauerit uir doctissimus<sup>21</sup>, ne speciosius sit quam uerius excogitatum. nam neque oriundum a Graecis esse

20 cf. Tzschuck. ed. p. 56 sq. n. 2. — F. A. Beck. p. 34 not. 2. p. 140 sq.

21 ut Teuffelio. cf. Pauly. R. Encycl. I p. 1805 not.

§ 1. de  
Apollonia.

de „Athamaniae“  
nomine.

Ampelium quisquam demonstrauit (cf. infra pag. 28) neque auctore graeco usum esse constat. sed licet hoc ipsum caput e graeco ille libello descripserit: cur cetera in sermonem latinum omnia eum uertisse, hoc uno loco retinuisse græcca putabis? Verissima me iudice Salmasii lectio est „in Athamania“, quae non uideo qua re a traditae uestigiis magis abhorreat quam Urlichsii. At Dukeri mihi obicies de Athamiae situ iudicium. quod non ignoro. sed talis profecto nostra non est ubi singulae illarum regionum gentes incoluerint notitia, qualem plerique praedican (quod alio exemplo inlustrabo). Propertius (V, 6. 15. ed. L. Muell.) quod in Ambracii sinus faucibus „Athamana litora“ ponit, poëtarum licentiae tribus, pariter tamen cave de Ouidii uersu<sup>22</sup> existimes „admotis Athamantis aquis accendere lignum narratur“, ubi recte Micyllus „Athamantis“ nom. sing. fem. non de terra, sed de aqua siue unda accipiendum esse dixit, parum tamen recte propter „Athamantis“ nomen regionem Thessalicam significasse Ouidium putarunt aut hunc fontem cum Dodonaeo confuderunt interpretes. is enim est de quo Plinius (NH. II, 228) tradit „in Illyricis supra fontem frigidum expansae uestes accenduntur“. etenim in illo de mutata aquarum natura capite (u. 309—334) prorsus consentit plerumque Ouidius cum Senecae (nat. qu. III), Vitruui (l. VIII), Plini, [Sotionis] Isigoni, Antigoni Carystii excerptis, ita ut quae ab his omnibus, Ouidio adnumerato, traduntur tamquam riuali uideantur ex communi fonte omnes, uario tamen cursu deducti. eum autem fontem Callimachi libros fuisse θαυμασίων καὶ παραδόξων τῶν ἀνὰ πᾶσαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συνογγεγή inscriptos conuenire nunc inter omnes existimo. Iam audi quae Eudoxum<sup>23</sup> secutus

22 Ou. Met. XV. 311 sq. de quo loco uariorum opiniones conjectae sunt in Burmanni ed. uol. II p. 1094 sq.

23 excusum uide in huius commentationis fine adiectum (p. 29).

de fonte Ouidiano Callimachus narravit: (Ant. C. c. 148 West. — Call. frg. p. 338 n. 20 Schneid.) Περὶ δὲ τὴν Ἀθαμανίαν οἱον εἶναι Νυμφῶν, ἐν φύσει καρήνην τὸ μὲν ὄδωρον ἔχειν ἄφατον ὡς ψυχρόν, δ’ ὅτι ὑπερθῆσαντον θερμαίνειν. ἐὰν δέ τις φρέγανον ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων προσενέγκῃ, μετὰ φλογὸς κάεσθαι (cf. [Sot.] Isig. c. 11). Quo ex loco cum de Illyrico nymphaeo, quod in Apolloniae urbis uincinia fuisse scimus, eadem atque Ouidium dixisse Callimachum eluceat, — de nullo enim alio nymphaeo similia traduntur, — eam regionem Eudoxum quidem uocasse „Athamaniam“ sequitur. atque reminiscaris uelim etiam Stephanum Byz. (p. 33, 10) Illyriae partem nominari a nonnullis „Athamaniam“ referre. quae cum ita sint, illo quoque loco priore fortasse tempore Athamanum gentem uel gentis partem habituisse summo iure censeo concludi posse, ita ut nulla iam causa sit a Salmasii lectione recedendi.

De ipso regionis miraculo quae Ampelius narrat, satis accurata sunt. neque enim quod dixit: inter Apolloniam et Nymphaeum spatium interesse, ceteris testimoniis conflatis a uero uidetur multum differre, et rectissime locus ille in monte Nymphaeo, ubi de terra (fort. „petra“ fuit cf. Plin. II, 240) flamma exit sempiterna, a lacu asphaltite (cf. Vib. Seq. p. 12 Burs. „in Athamania lacus“) separatur; quin etiam praeter Strabonem (l. VII p. 316) unus Ampelius sub Nymphaeo monte pissasphalti fontes fuisse commemorat. mira sane sequentia sunt „cum manibus subplodas, pix alte attollitur“, sed si quae a Cassio Dione (l. XLI, 45), a Plinio (II, 237 sqq.) al. de Nymphaei miraculis commenta hominum narrantur respexeris, talem quoque fabulam diuolgatam fuisse non est cur neges. quod idem de reliquis dixerim „in silua Panis symphonia in oppidum auditur“ <sup>24</sup>.

24 locum admodum siluestrem fuisse e Plini Dionisque locis cognoscitur. cf. etiam (Aristot.) mir. ausc. 127 West. Ael. u. h. XIII, 16.

<sup>2. de Am-</sup>  
<sup>bracia.</sup> Nec de Ambracia Epiri urbe quae ab Ampelio traduntur aliunde nota sunt<sup>25</sup>. sed temporibus admodum antiquis et artis operum laudibus Ambraciam et artificum (indigenarum quoque. cf. Ouerb. schriftqu. n. 339. Brunn. KG. I, p. 54) floruisse uel e Plini locis abunde conspicitur (NH. 36, 9 et 14). at quo quaeso tempore haec possunt de Ambracia scripta esse? „in Epiro“ quidem quod additum est, caue ne certum tibi aetatis indicium deprehendere uidearis, neque erit qui Ampeliani capitis auctorem Ambraciae statum qualis ante a. u. 565<sup>26</sup> fuerat nouisse persuasum habeat: at post conditam certe Nicopolim tanti neminem Ambraciam fecisse ut de eius artificiis referret mihi quidem certissimum uidetur<sup>27</sup>.

<sup>§ 3. de Ar-</sup>  
<sup>gis, Epiri</sup>  
<sup>urbe.</sup> Iam ad § 3. uenio, cui inesse multa adparet quibus non probabiliter enodatis tota haec argumentatio ad irritum redigatur. Atque primum „Argis in Epiro“ illa miracula fuisse tam planis uerbis dictum uides ut, dum erroris scriptorem coargueris, de aliis regionis loco cogitare nequeas. secuntur uerba „quod ippaton appellatur“, haud dubie corrupta, sed cum non talem mendae medelam adferre liceat quali falsum scriptorem ipsum esse aperiat, nec „hippoboton“ scribendum, neque omnino tradita lectio prius mutanda est, quam de quo loco hic agatur habeamus compertum. Praeter Peloponnesi urbem magni

cum Panis mentione recte composuit Plutarchi fabellam (Sull. 27) Tzschuckius in adn. ad h. 1.

25 de incluta Zeuxidis Helena cogitari nullo modo posse apertum est. quam tabulam a Pyrrho Ambraciam aduectam esse e Plini loco (NH. 35, 66) non efficitur (cf. Urlichs. chrestom. Plin. p. 350).

26 cf. Liu. 38; 9. 18. (cf. c. 43, 6—44, 5). Polyb. 21, 30. 9. cf. Plin. 35, 66.

27 cf. Strab. p. 325. 327. εὐάνθρωποι — ἡ — Ἡπειρος —. νῦν δὲ τὰ πολλὰ μὲν ἐρηματα κατέχει, τὰ δ' οἰκουμενα κωμηδὸν καὶ ἐρειπίοις λεῖπεται. p. 450. Paus. V. 23. 3.

nominis Argos Amphilochium erat, sed illud quominus hoc loco esse dictum putes, cum alia tum ea ratio prohibet quod Epiroticae urbis miracula minime in illud oppidum quadrant. ibi enim Argonautarum Medeaeque reliquiae aut pons mirabilis et Louis templum oraculo inlustre<sup>28</sup> fuisse nusquam traduntur. itaque cetera necesse est eiusdem nominis oppida circumspiciamus. inter undecim autem loca quae Steph. Byz. (p. 112, 18 sqq. cf. Eust. ad Dion. Per. u. 419. p. 175, 10 Bernh.) enumerat „Αργος“ appellata septimum est Argos κατὰ Μακεδονίαν, octauum „Ἀργος Ὀρέστιον ἡ (libri ἡ) ἐν Σκυθίᾳ. at in Scythia quis unquam illud Oresticum Argos situm esse audiuit? ego uero quam libri praebent lectionem mutare non ausim, quamquam num uerba ἡ ἐν Σκυθίᾳ a Stephani manu prouenerint ualde dubito. ceterum, utut est, ab Argis Macedoniae urbe aliam Stephanum patet Ὀρέστιον adpellatam disiungere. at hoc ipsum Argos Oresticum Orestidis, regionis Macedoniae, caput neque aliud eius nominis oppidum in Macedonia fuisse scimus. errasse igitur Stephanum dicemus. sed unde constat Orestas, gentem Epiroticam (Strab. p. 326), in Macedonia uel totam uel semper habitasse? Ptolemaeus certe (III, 13, 5) — nisi illum quoque esse falsum arbitraris — Orestidem regionem agnouit maritimam<sup>29</sup>. quo accedit quod Stephanus (p. 494, 25) Hecataeum secutus Orestas Molossicae gentis partem fuisse adfirmat. Molossos autem, tametsi ne eorum quidem sedes certis possunt ter-

28 satis mirari non possum quod, cum Urlichsius rectissime monstrasset pro corrupta »hyphonis« uoce nec »Trophonii« posse nec »Tryphonis« substitui atque ipse non certam quidem, probabilem tamen »chthonii« conjecturam proposuisset, Zinkius l. l. ad Dukeri opinionem reuolutus ante »ibi« intercidisse quaedam contendit.

29 totam hanc ratiocinandi uiam uiros doctos T(euffelium) et F(orbigerum) praecessisse laetor (Pauilly. R.Encycl. I p. 1544). qui cum Stephanus Orestas Μολοσσικὸν ἔθνος adpellat, eos circa Ambraciā incoluisse existimant.

minis circumscribi, medianam et ex parte meridianam Epi<sup>r</sup>i regionem obtinuisse inter omnes conuenit<sup>30</sup>. quae cum ita sint, posse saltem in ipsa Epiro Stephani illud *"Αργος Ορέστιον* situm fuisse concedendum erit. Atque id ipsum aut magnopere fallor aut ab Ampelio hoc loco dictum est. quod ut probem, ubi positum fuisse oppidum censeam explicabo. ac primum urbis cui Argos nomen est situm in mediterranea Epiro, montosa hercle asperaque terra, fuisse cum per se ueri dissimile sit, tum improbandum ea de causa uidetur, quod pons quidem magnus, Medeae artificium aliaque Argonautarum monumenta ibi fuisse narrantur. quod dici non potuisse manifestum est nisi de loco Ionici maris litori satis uicino<sup>31</sup>.

Iam Plini inspicias locum (NH, IV. 4) diligent<sup>i</sup>, si quid uideo, consideratione dignum: „In Epiri ora — maxime — nobilitatus Ambracius sinus — —. In eum deferatur amnis Acheron e lacu Thesprotiae Acherusia profluens XXV passuum inde et mille pedum ponte mirabilis omnia sua mirantibus“. Quid? errasse licet Plinium dicas, utpote qui Acherontem amnem ab Ambracio sinu excipi scripserit (cf. Bursian. II. p. 28 sq.). at quis idcirco quae de fabuloso Acherontis ponte Plinius addit refellere audebit? et porro quoniam de alio Epiri ponte nihil unquam traditum est, quis non adducitur ut illum credit eundem fuisse ac quem Medeae iussu aedificatum esse Ampelius perhiberi narrat? cui sententiae quid obstet, nihil uideo. et confirmatur ea Louis (chthonii?) oraculi mentione. hoc enim nemo, opinor, iam dubitat in quin Acherontis *νεκυομαντεῖον*, uetusta illud nobilitate in-

30 cf. Steph. B. p. 365, 21 *Κασσώπη, πόλις ἐν Μολοσσοῖς, ἐπάγυμος τῇ Κασσωπίᾳ χώρᾳ.* Strab. p. 325 [p. 447, 14. Mein.] et p. 321 [p. 442, 8 sq.]. Bursian. G. Griech. I p. 29 sq.

31 in Epiri ora haud dubia extant ut Corcyrae Argonautarum uestigia. cf. Ap. Rh. Arg. IV. 1212 sqq. 1226. Orph. Arg. 1354. — O. Mueller. Orchom. p. 292 sq. cf. etiam not. 33.

clutum<sup>32</sup>, Ampelii uerbis inlustretur, de quo non est cur eadem fere atque de Lebadeae oraculo homines praedicasse negemus. Quae si uere disputata sunt, non uidebimur calidius quam consideratius argumentari, cum Argos Epiri oppidum, ab eo fortasse quod octauo loco Stephanus posuit non diuersum, prope Acherontem flumen haud procul a mari situm fuisse dixerimus. cuius urbis, alias quoad sciam eo quidem nomine non memoratae, num forte aliud indicium extet<sup>33</sup>, alii rimentur. illud tamen quod Strabo Mela Plinius Ptolemaeus neque illius urbis neque oraculi mentionem faciunt, posse documento esse monuerim, cui sua Ampelius debet scriptorem multo illis fuisse priorem<sup>34</sup>.

De Leucatae montis miraculo cum non habeam<sup>§ 4</sup> addendum existimem — tantus enim Ampelianam inter Strabonisque (p. 452) narrationem consensus est ut ex eodem utraque fonte (Ephoro, ni fallor) derivata esse uideatur — ad § 5. me uertam, in qua quae leguntur explicationem desiderant aliquanto copiosiorem. Et de templo<sup>§ 5</sup> quidem Apollinis Pausaniae (II, 7. 8.) uerba in primis respicienda sunt, quo nemo sicut de totius Sicyonis situ et condicione, ita de illa aede accuratius rettulit. Quibus diligenter perpensis primaque eiusdem capititis paragrapho in comparationem uocata Ampelianorum auctorem,

32 Hdt. V. 92. 7. cf. Bursian. G. G. I p. 27 (Pauly. R. Enc. I, p. 80). Preller. Gr. Myth.<sup>3</sup> I p. 665.

33 de ipsa Ephyra urbe cogitare equidem non ausim, quamquam ibi potissimum de Medea fabulas nouimus circumlatas esse. cf. Eust. ad Od. I u. 260 (vol. I, p. 56, 22 sqq. ed. Lips.) conl. Paus. II. 3. 9. — an e corrupta »ippaton« uoce »Barla« nominis (de quo non magis constat. cf. Strab. p. 324. Bursian. II. p. 29 sq.) uestigia extricare licebit?

34 immo hau scio an in earum LXX urbium numero Argos fuerit quae a. u. 587. dirutae sunt. quarum plurimas Strab. p. 322. Polybium secutus Molossicas fuisse testatur. cf. Liu. 45, 34, 5 sq. App. Illyr. 9. Plin. IV, 39.

quoniam in foro Apollinis aedem fuisse dixit, post a. u. 451 scripsisse intelleges (cf. Curtius, Peloponn. II p. 492 m.)<sup>35</sup>. Dolendum sane est quod, post quem annum haec de Sicyone omnia non potuerint dici, hanc item definiri licet. etenim e Pausaniae uerbis tametsi satis elucet illius aetate diu iam templum incendio deletum fuisse<sup>36</sup>, cum neteris loco aliud ille a Pythocle dedicatum uiderit: tamen quoniam nec de incendii quidquam, nec de Pythoclis tempore<sup>37</sup> adiunxit, quid rei sit non inuestigabimus.

<sup>de donis  
uotiuis.</sup> Ad dona uotiuia qued adinet grauis pro Ampelii fide testis accedit Pausanias. qui (II, 7, 9) cum non eiusmodi solum reliquias uere in illa aede extitisse quondam tradat, uerum „καὶ αὐλοὺς ἀνατεθῆναι φασιν ἐντοῦθα τοῦ Μαρσύου“ et ipse adfirmet<sup>38</sup>, nullam esse causam adparet eur de ceteris Ampelio fidem derogemus, praesertim cum illis ex parte quidem nihil sit quod aptius conuenientius-

35 Putauerit aliquis, quod Sicyonem (et Argos) in Achaia scriptor conlocauit certum esse aetatis multo inferioris iudicium. sed his caue nimium tribuas. nam etiamsi e Plutarchi uerbis (Arat. c. 9) »ὑπέθυσαν (sc. Sicyonii) ἔχουσις ὅνομα καὶ πολιτείαν τῶν Αχαιῶν« configere non ausim post a. u. 503 Sicyonem Achaiae urbem appellatam esse, tamen Achaiae nomen utrum a principe auctore scriptum, an — quod probabilius uidetur — postero tempore adiectum sit ostendi nequit.

36 hunc locum (Paus. II, 7, 9) recte Woelflinus (diss. p. 47) protulit quo non omnia in hoc capite tradita demonstraret adhiberi posse adaetatem qua Ampelius scripsisset circumscribendam: quapropter autem praeterea alterum locum adferat II, 11, 2 non intellego. eo enim loco apertum est aedem prorsus aliam dici eamque non defligratam.

37 Pythoclem enim Polycratis Sicyonii filium fuisse, ad quem ab Arato prognatum illius uitam Plutarchus misit (uit. Arat. c. 1) multis de causis non crediderim.

38 Urlichsiana praestat Buecheleri emendatio »Marsyae corium itemque tibiae« (cod. marsi autem quaeque h. e. marsiae itemque tibiae).

que seruatum Sicyone esse perhibeatur. quid enim, ut pauca proferam, magis „Ad rasti arca“<sup>39</sup> Sicyoniorum et fabulis conuenit et religioni? quid remis Argonautarum cum gubernaculis<sup>40</sup>, quoniam ad Aristonautas<sup>41</sup> Pelennes portum, in proxima Sicyonis uicinia positum, nauem Argonautae ad pulisse dicebantur? quid denique Agamemnonis clipeo et machaera, quippe quem exercitu ad urbem admoto Sicyone regnasse narrarent? (Paus. II, 6, 7).

Ad sequentia progredior. ubi cum Argiuæ Iunonis<sup>§ 6 de Argis.</sup> templum asylum reete ab Ampelio adpellari, quamquam alii desunt testes, e Plutarchi certe loco<sup>42</sup> eluceat, de primis paragraphi uerbis quod sentio paucis comprehendam. Salmasius e codice descriptsit „Argis Inacie,“ pro corrupto „Inacie“ nomine in suam editionem quod ipsa literarum similitudine commendabatur „Inachiae“ recepit. eamque lectionem postquam ceteri editores, ut solent, seruarunt, Iunonem, ni fallor, Inachiam interpretantes<sup>43</sup>, primus reiecit Woelflinus (adn. crit. ad h. l. — diss. p. 19 in.) qui conl. p. 7, 18 sq. 6, 36 W. scribendum esse „in Achaia“ contendit. atque ea quidem coniectura probanda Eussnero,

39 quare recte Woelflinum, Tschuckio (ed. p. 69 not. 30) ad sensum, proposuisse »Acasti arca, quam Medea posuit« praefracte nego. contra optime idem emendauit »Palamedis litterae.« Palamedis tesserias (*χύσους*) in uetustissimo Fortunae templo Argis fuisse Paus. narrat II. 20, 3.

40 Urliohsio emendationem praeripuit H. Jacob. (specim. emend. Cleu. 1860 p. 21 fin.) »remi Argonautarum cum gubernaculis et brachia.«

41 uel »Argonautas.« cf. Paus. II. 12, 2 et 6. VII. 26, 14. — Bursian. G. Gr. II p. 342 m. 343 not. 1. — ab eodem portu prope Sythae fluminis ostium sito annua pompa festo Apollinis die ipsius Dianaequae simulacra in urbem Sicyonii reducebant (Paus. II. 7, 7 sq. Curtius ll. II p. 498).

42 uit. Pomp. c. 24. cf. Pauly. R. Enc. I p. 1946. Tschuck. com. ad Mel. II § 41 (p. 42, 28 sq. Parth.) uol. III, 2 p. 280 fin.

43 cf. Tschuck. in adn. ad h. l. p. 75.

improbanda Klussmanno uisa est<sup>44</sup>, qui acquieuit in Salmasii lectione, „Inachiae“ non cum „Iunonis,“ sed cum urbis nomine, utpote quo eius situs definiretur, coniungendum ratus. at hoc uereor Klussmannus ne nulli persuaserit. nam licet concedamus, genetiuo „Inachiae“ uti scriptorem potuisse (cf. p. 7, 5 W. quamquam nec eadem illius loci ratio est nec equidem intellego cur alias usitatam dicendi formam hoc uno loco scriptor repudiarit): tamen quis unquam eam regionem „Inachiam“ nominauit et eodem aut simili saltem modo quo Klussmannus factum hoc esse opinatur? etenim aliud esse „in terram Inachiam“ (p. 2, 23 W. quod non probo), aliud „Argis Inachiae“ ne ipse quidem negauerit. Itaque, nisi aliud uitium latere spiccamur, facere non poterimus quin, quamuis maiore ille literarum mutatione utatur, uerum uidisse Woelflinum existimemus.

<sup>§9 de Oropo.</sup> De § 9 proxime<sup>45</sup> erit propterea dicendum quia, cum locum Amphiarae sacrum non in Attica Ampelius, sed in Boeotia esse narret, Urlichsius e fonte eum Philippo Ma-

44 A. Eussner. spicileg. crit. Wirceburgi 1868 ed. adn. ad p. 9, 10 ed. Woelffl. Klussmann. Philol. XI p. 269.

45 Curtius (Il. II p. 111 not. 62) ubi de uictore sub ipso Ioue Olympiae coronato dixit, praeter Plin. XV, 19 Ampelii VIII, 7 adulit. sed eius uerba ubi athletae initiantur quid significant, alii rogo ut doceant. — Corinthi eiusmodi ossa fuisse apud alias me legisse non memini, neque aliud auctoris testimonium requiro, quoniam quot locis talia in quanta admiratione fuerint notissimum est. cf. e. c. Mela. I, 64. Plin. V, 69. Paus. II, 10, 2. III, 22, 9 al. Philostr. Her. uol. II p. 137, 18 sq. 138. 140, 5 sqq. Kays. — De marmoreo Laidis uase, illius tumulo, qui Corinthi prope fanum Veneris *Melaiavīdos* monstrabatur, ut uidetur, imposito conf. Paus. II, 2, 4 cum Athen. XIII p. 589 b, quorum uerba cum Ampelii narratione optime componi possunt, unde denuo egregiam fidem Ampelio habendam esse cognoscas. Corinthiaco tumulo quod Paus. dicit οὐτε ημέρα fuisse illud aut una cum uase impositum aut, quod magis placet, illius loco posterò tempore substitutum esse crediderim.

cedonum rege hausisse priore suspicatur, Pausania scilicet auctore, qui (I, 34, 1) Oropiae possessionem a Philippo Atheniensibus *βεβαιώς* restitutam esse adfirmet. At rationibus satis firmis ductum ita Urlichsum iudicasse nego. neque enim num de Oropo omnino cogitarit Ampelius certum est, siquidem duo etiam praeter Oropum fuisse loca narrantur eaque haud dubie Boeotica, ubi de miro Amphiarai obitu fabulae ferebantur<sup>46</sup>, et — demus enim de Oropo ille dixerit — quominus Pausaniae nimium tribuentes post Philippi tempora Oropum in dicione Atheniensium semper fuisse credamus, certa aliorum testimonia impediunt<sup>47</sup>. Itaque, tametsi in ceteris quas adhuc examinauimus aetatis Philippo multo posterioris indicia deprehendimus, hac paragrapho, modo ne ad Caesarum tempora descendamus, argumentatio nostra non euertitur.

De Phidiaco Mineruae simulacro cum supra dictum sit cumque de Ilii Rhoetei Ephesi Sami miraculis praeter meras conjecturas non habeam quae commode proferri possint, transgredior ad § 14. de qua Brunnii<sup>48</sup> de *ara Pergamena* (*§ 14.*) iudicium tamquam meum non possum non amplecti, nec causam reperio qua commotus Ouerbeckius<sup>49</sup>, quamuis, quod Brunnius de Attalico opere Pergami seruato suscipiatur, egregie his Ampelii uerbis confirmari pateat, hanc tamen aram ectypis fortasse ornatam dixerit omninoque

46 cf. H. N. Ulrichs, *reisen u. forschungen* II. Berl. 1863 p. 68 sqq. = ann. dell' instit. XVIII p. 40 sqq.

47 ut Diod. XIX, 78, 3. cf. de hac re quae disputauit Meierus (Ersch. et Gruber. Encycl. III uol. 5 p. 509).

48 bullet. dell' inst. 1871 p. 30 sq. cf. etiam annal. d. inst. 1870 p. 317 sqq.

49 griech. kunstmythol. II. Zeus. p. 306 fin.: »In dieselbe zeit und kunstschule wird sodann ein mit der gigantomachie (in relief?) geschmueckter groszer altar in Pergamos zu setzen sein, von welchem Ampelius zu berichten weisz, während sonst nichts ueber denselben bekannt ist, falls die ganze nachricht glauben verdient.«

aliunde non notam, quin etiam de totius rei fide ad-dubitarit. Quodsi Attali atra post Gallorum cladem Per-gami extracta his uerbis describitur, necessario princi-pem capitis auctorem post a. u. 525 (Ol. 137, 4) scripsisse efficitur.

<sup>§ 15. 16 de  
Iaso et Bar-  
gylia.</sup> Finem faciat Ampelii de Iasi Bargylique mirabilibus simulacris enarratio. nihil enim nisi Iasi nomen in cor-rupta codicis lectione latere conlatis Polybii (XVI, 12) uer-bis certissimum est. quamquam etiam nunc restant dubia. atque primum quod Urlichsius opinabatur Polybii errore oppida inter se commutata esse, cum per se parum proba-bile sit, tum aperte reuincitur titulorum Iasi repertorum testimonio (cf. Hultsch. adn. crit. ad Polyb. l.). nimirum Diana utroque loco statua erat, Cindyadis Bargylia (cf. Strab. XIV p. 658), Iasi Astiadiis (cf. CIGr. II p. 466 no. 2683)<sup>50</sup>. Itaque secundum tituli Polybique auctorita-tem non solum uera § 15 narrat Ampelius, sed additis etiam „marmoreum pulcherrimumque“ uerbis noui aliquid addisci-mus. Quae quam uellem praedicare de sequentibus liceret! sed ut res se nunc habet, quid fide dignum indignumue sit non expedio: id unum contendam ex Polybii loco nihil posse subsidii peti, quoniam quae ille de Bargyietarum Diana prodit prorsus aliena sunt ab Ampelii de Veneris fano narratiuncula, ita ut ne id quidem plane constet, num uera sit speciosa C. L. Rothii (cf. Woelffl. adn. crit. ad h. l.) emendatio. neque multum inde lucramur quod recte Tschuch-kius Isidorum (orig. XVI, 4, 4. cf. etiam § 2 de Magnete lapide cum Ampel. § 17) intellexit eandem fabulam iisdem

50 ceterum recte uidit Urlichsius de Iasiorum Diana Plinium (NH. 36, 12) dixisse »ostendunt et Iasii (ita cod. Riccard. — Lasii cod. Voss. Ian. Detlefs.) Dianam manibus eorum (sc. Bupali et Athenidis) factam. quam sententiam ipso eo quod re uera Diana si-mulacrum marmoreum pulcherrimum in maximo apud Iasios honore fuisse scimus, optime uides comprobari (cf. Brunn. KG. I p. 40 m. Overb., ll. I p. 74 m.).

fere uerbis tradere, rem sane memorabilem, cum neque urbis nomen ille addat neque unde ea deprompscerit — nam de Ampelio ne cogitari quidem potest — compertum sit.

Haec habui quibus mirabilia ab Ampelio memorata disputationis summa. aliqua ex parte posse inlustrari putarem, patetque permulta aut aliorum scriptorum testimoniis comprobari aut, etiamsi praeterea nusquam tradantur, per se tamen fide satis esse digna. quapropter, cum uni auctori hoc caput debere Ampelium ostenderim, non est cur de paucis illis quae probatu difficultia restant, quin uera i. e. ab optimi temporis scriptoribus narrata sint, dubitemus.

Iam una relinquitur eaque impedita ac lubrica quaestio, quando et ubi et a quo haec terrarum miracula primum collecta sint. qua in quaestione cum pleraque prorsus incerta nunc enodari nequeant, ne coniecturis nimis indulgeam, pauca tantum, quae ex priore disputatione cum aliqua probabilitate conligi posse existimo, hoc loco proferam.

Atque primum quidem id puto ab omni dubitatione tutum esse, principem quem dico auctorem Graecum fuisse. Romanum enim si statuas, qui fieri potuit ut nulla Italiae miracula narrarentur, nullum omnino extet Romanorum imperii uestigium? atque hoc et ipsum documento est scriptorem multo ante Augusti tempora uixisse, id quod cum singula perlustrarem persaepe monui, uelut ubi de Ambracia, de Sicyonio Apollinis templo Pausaniae aetate iam dudum conflagrato, de Oropo Boeotiae a scriptore adnumerata, al. exposui. quid quod et Corintho et Argis Epiri urbe quodque ibi erat oraculo memoratis ante Epirotarum cladem Corinthique excidium ille scripsisse uidetur. cui tempori quid obstet nihil reperio. Contra quoniam extructam Pergami aram scriptor nonit, huius capitis mirabilia post a. u. 525 collecta esse adparet. Atque illi aetati manifestum est quam aptum quamque consentaneum omni ex

parte tale argumentum fuerit tali ratione conscriptum. accedit quod, cum agmen Aegypti miracula claudant ipsaque Alexandria Aegypti cum Graeciae capite Athenis comparetur, ipse scriptor Alexandriae uixisse putandus est<sup>51</sup>.

<sup>unde sua  
Ampel.  
sumpserit.</sup> Atque ex huius Alexandrini secundi a. Chr. n. saeculi scriptoris libello, Augustae aetatis scriptoribus ut uidetur ignoto, Ampelium sua hausisse credendumst? quo nihil video minus probabile. at graecam fortasse exscripsit Ampelius ueteris opusculi epitomen. neque hoc concedam nisi si prius demonstraueris graecis illum auctoribus in libro mem. conscribendo usum esse. at Ampelium ipsum graecum fuisse dicunt, in cuius rei testimonium cum ad alias causas easque nimis incertas<sup>52</sup>, tum ad „frequentissimum uocabulorum graecorum usum“ prouocant. sed ubi tandem graeca uocabula Ampelius adhibuit? in prioribus quidem libelli capitibus saepe, at nusquam in parte posteriore, nam quae sola secuntur c. 14 tropaeum, poëmata, asylum (et c. 16), c. 15 mysteria usitatissima apud Romanos uerba sunt, nec graecum hominem indicant in nom. propr. scribendis adhibitae accusatiui graeci formae. Cur igitur Graecus paucis capitibus nonnulla uocabula graeca inmiscuit, in ceteris prorsus ab eis abstinuit? an id mihi obicies in prioribus graecos, in posterioribus latinos eum auctores sectum esse? at secundum caput constat ex Nigidio depromptum esse et conlatis Germanici scholiastae uerbis p. 391, 19 et 406, 3 Eyssenth. ipsum Nigidium patet „athla“ et „cataclysmo“ dixisse. unde id quidem efficitur, graecorum capitinis VIII uocabulorum frequentia neque ipsum Ampelium a Graecis oriundum, nec graeco auctore usum esse euinci.

51 quod etiam aliis de causis uerisimile est, uelut quod non nisi regiones et urbes Ptolemaeorum eo tempore socias et amicas attingere uidetur. sed de his alio loco prolixius dicendum erit.

52 cf. Woelflini diss. p. 45. Teuffel. RLG<sup>a</sup>. p. 808: »auch die ausgedehnte beruecksichtigung des orient spricht fuer nichtitalischen ursprung des vf.«

Immo nullus equidem dubito, quin latinum exemplar aut descripserit Ampelius aut excerpserit, idemque cui priora capita, etsi non omnia — quod mihi quidem persuasum est — plura tamen debet, Nigidianum dico vel Nigidii breuiarium. Nigidium autem Alexandrini illius congeriem in suum usum conuertisse censeo.

Haec non sine aliqua probabilitate conjecta esse, si rem accuratius examinaueris, spero concedes: demonstrari sane non possunt nisi — quod in uotis est — omni de priorum Ampeliani libri capitum fide et auctoribus quaestione absoluta.

---

### **E x c u r s u s**

ad Antig. Car. hist. mirab. 148 West. cf. not. 23.

Ex Eudoxi libris Callimachum haec sumpsisse, consilium Antigoni docet certaque scribendi ratio, quam mirum est Callimacheorum editorem nouissimum ita non perspexisse (uol. II p. 331 m)<sup>1</sup> ut de testium nominibus saepe numero ab epitomatore omissis quereretur. quamquam illam Schraderum iam (Fleckens. ann. XCVII p. 223. 224. 227) et Muellenhoffium (ll. identidem) si minus perspexisse, at animum tamen aduertisse video. Ratione autem scriptor ea usus est ut, perinde atque Plinius uno et perpetuo narrandi tenore seruato, auctorum nomina aut adferret ubique aut particulis saltem coniunctiuis uerborumue conlocatione indicaret. quae quam uera sint ut ipse intuearis, uide sis

<sup>1</sup> idemque de O. Kellero (cf. Ztschr. f. oestr. gymn. 1874 p. 119—188) dixerim, quem iuuat ad Muellenhoffii iudicium (D. Altertumsk. I p. 468 fin.) relegasse.

omnes deinceps inde a cap. 129 narratiunculas artissimo uinculo inter se coniunctas. (129) φησὶν [sc. Callimachus περὶ θαλάττης] Εὖδοξον ἴστορεῖν —, (130) Θεόφραστον δὲ τὴν — ἀναζεῖν —, (131) ἐκ δὲ τῆς — ἀναφέειν [post τὴν intercidisse μὲν uidetur, quod extat c. 141 et 147], (132) Μεγασθένην δὲ — ἴστορεῖν —. (133) Περὶ δὲ τῶν ποταμῶν καὶ κρηνῶν Λύκον μὲν φησιν λέγειν —, (134) Τίμαιον δὲ — ἴστορεῖν —, (135) Πολύκριτον δὲ — κατεγγραφέναι —. (136) περὶ δὲ τὴν — χώραν φησὶν ποταμὸν — καταφέειν. [Callimachum nominat, non quem ille auctorem secutus est, sed cum cap. 137 adiciat „ἴστορεῖν δὲ ταῦτα Θεόπομπον“ dubium non est quin ex eo Callimachus etiam c. 136 sumpserit. quod et Schraderus et Muellenhoffio placuisse gaudeo. contra aperte falsus est O. Schneiderus ad Antig. c. 137 (Call. frg. p. 334 fin.) adnotans „testem omittit etiam Plinius 31, 14.“ nam dilucide Theophrastum („idem“ dicit) ille significat. nec magis intellego eur idem ad auctorem quo Callim. c. 136 usus sit indicandum Stephanum (p. 570, 12) excitet, quippe quem, ubi testem Aristotelem nominat, intellexisse personatum pateat (cf. mir. ausc. 115 W.)]. (137) τὴν δὲ — κρήνην — ἔχειν —, ἴστορεῖν δὲ - ταῦτα Θεόπομπον, (138) Εὖδοξον δὲ —, (139) Λύκον δὲ — λέγειν, τὴν μὲν — τὴν δὲ — πλησίον δὲ —, (140) Ἀρέθουσαν δὲ — [cum c. 139 coniungendum esse etiam Muellenh. uidit ll. p. 438\*]. (141) Θεόπομπον δέ φησιν γράφειν τῆς μὲν —, (142) ἐν Σκοτούσσῃ δ' εἶναι —, (143) ἐκ δὲ τῆς —. (144) Τῶν δ' — κρηνῶν λέγειν Ἀριστοτέλη —, (145) Κτησίαν δὲ τὴν —, (146) τὴν δὲ ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς κρήνην — [Ctesiae haec esse Plini (l. 31, 21) testimonio confirmatur]. (147) Εὖδοξον δ' ἴστορεῖν τῆς μὲν —, (148) περὶ δὲ τὴν Ἀθαμανίαν —. (149) κατὰ δὲ τὴν Ἀραβίαν — Ἀμώμητόν φησιν γράφειν. (150) Περὶ δὲ λιμνῶν Κτησίαν μὲν ἴστορεῖν λέγει [e coni. Bentl.] —, (151) Ζηνόφιλον δὲ —, (152) τὴν δὲ — Ἡρακλείδην γράφειν. (153)

Ἐν δὲ τῆς — λίμνης φησὶν Εὔδοξον ἴστορεῖν —, (154)  
 Λύκον δὲ —, (155) Φανίαν δὲ τὴν τῶν Πυράκων λίμνην  
 — κάεσθαι (156) καὶ τὴν Ἀσκανίαν πλίνειν [Idem de  
 hoc cap. Schrader. p. 224 inf. et Muellenh. p. 427 m. iudi-  
 carunt, Schneiderus (p. 343) parum recte de Eudoxo cogi-  
 tavit]. (157) περὶ δὲ τῆς — φάσκειν [ε Bentl. coni.] Νικα-  
 γόραν —. (158) Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ὑδάτων [ueris-  
 sima haec est et necessaria Linckii coniectura quam satis  
 mirari non possum quod nec Schneiderus p. 344 m. nec Kel-  
 lerus ll. p. 130 m. amplexi sunt. cf. Athen. l. II p. 41 d  
 (I p. 73, 31 Mein.): Τῶν δὲ ἄλλων ὑδάτων τὰ μὲν sq.] Θεό-  
 φραστόν φησι — λέγειν —, (159) ἐν δὲ — ἴστορεῖν Λύ-  
 κον —. (160) ὅμοιον δὲ τούτῳ καὶ τὸ περὶ τὸν Κάων χύ-  
 τρουν γίνεσθαι —. (161) εἶναι δὲ παρὰ τοῖς Κάωις καὶ  
 ἄλλο φευμάτιον — τοῦτο δὲ καὶ Εὔδοξος καὶ Καλλίμα-  
 χος παραλείποντιν — [ex quo scriptoris additamento de  
 his Cois aquis elucet Eudoxum narrasse]. (162) Λέγειν δὲ  
 τὸν Εὔδοξον καὶ περὶ — φρεάτων —, (163) καὶ περὶ  
 τοῦ — ὑδατίου — (164) ἐν δὲ — Θεόπομπον φάσκειν —,  
 (165) τὸ δὲ — Κτησίαν ἴστορεῖν —. (166) Περὶ δὲ πυ-  
 ρὸς Κτησίαν φησὶν ἴστορεῖν —. [cp. 167 ab Antigono  
 adiectum est]. (168) Περὶ δὲ λιθῶν τὸν αὐτὸν τοῦ-  
 τον λέγειν — [in hoc capite quae narrantur quoniam a Ctesia  
 scripta fuisse ueri parum simile est, facile adducor ut Kel-  
 lero p. 131 adstipulatus post „ἥλετο“ excidisse nonnulla  
 dicam] —. (169) Περὶ δὲ φυτῶν — Ἀριστοτέλην  
 φάσκειν —. (170) περὶ δὲ — Θεόπομπόν φησιν κατα-  
 γράφειν. (171) Φανίαν δὲ —. (172) Περὶ δὲ τῶν  
 ζώων Λύκον μὲν — φησὶν ἴστορεῖν —. (173) τοὺς δὲ —  
 Ἔνετοὺς Θεόπομπον φάσκειν. — Nihil addam. haec enim  
 qui perlustrauerit, de nullo, opinor, capite quemnam Calli-  
 machus auctorem adhibuerit, restare quidquam dubitationis  
 censebit. ac de ipso fortasse quisquis ille fuerit epitoma-  
 tore minus iniquum quam nunc fieri solet, iudicium faciet.

Alia uellem eaque grauiora de hoc ipso ceterisque

qui eiusdem generis extant libellis in medium proferre, sed illa quoniam aut omittenda aut copiose tractanda negque huius loci sunt, alii tempori relinquere praestat.

## II.

**De Philonis Byz. περὶ τῶν ἐπτὰ θεαμάτων libello.**

<sup>variorum iudiciorum</sup> Libellum π. τ. ἐπτὰ θεαμάτων a mechanico secundi (aut si Haasium<sup>1</sup> sequeris tertii) a. Chr. n. saeculi celeberrimo scriptum esse, postquam primus Fabricius<sup>2</sup> negavit, nemo quoad sciām contra adfirmare ausus est. sed quis tandem fuerit Philo ille quoūe saeculo scripsit nemodum pro certo dixit: quin etiam incerti quidam fuere antene an post Augusti aetatem nixisse eum statuerent<sup>3</sup>.

1 cf. Ersch. et Gruber. encycl. III uol. 23 p. 428 sq. — quae tamen argumenta protulit u. cl. ea mihi quidem non satis certa uidentur.

2 cf. Bibl. Gr. uol. IV p. 233 in. Harl. — a Philone —, qui mihi uix ac ne uix quidem uidetur ille mechanicus —, sed potius aliquis e rhetorum numero non contemnendae aetatis, Philo forte Heracleotes.

3 Orellius (praef. p. VIII sq.) adsentiri se dicit Fabricio adsignanti opusculum incertae aetatis rhetori uel sophistae. »Nam dicendi genus, licet non inelegans turgidum tamen floresque orationis quos nimio studio aucupatur hic scriptor, recentioris aetatis uestigia produnt. — Idem iudicium legitur apud Paulym (R.-Enc. V. p. 1497) ubi tamen additum est »ob ihm [sc. Philoni Heracleotae] oder einem andren (etwa dem Byzantiner) die schrift beizulegen ist, wird schwer zu ermitteln sein«. — Similia Haasius scripsit l. l. p. 456 fin. »ob dies nicht einer der bereits genannten Philone ist, wage ich nicht zu entscheiden«. — cf. etiam F. Schoell.

seuerius tamen de eo nemo iudicauit quam Luedersius<sup>4</sup> quippe qui Philonem scriptoribus Byzantinis adscribere non dubitarit. at de suo sibi hanc opinionem fixisse ille uidetur, argumenta certe quibus eam firmaret adiunxit nulla. haec autem utique nobis circumpiscienda sunt. et cum ex aliorum scriptorum testimoniis peti non possint, ex ipsius libelli aut rebus commemoratis aut orationis forma conquirantur necesse est. atque in rebus quidem nihil fere in-  
esse; patet quod certum aetatis qua uixerit Philo indicium faciat. nisi id putas recentioris saeculi uestigium esse quod ille, quamquam ceteris multo uerbosius de singulis miraculis dicit, per pauca tamen prodit quae non accuratius aut rectius ab aliis scripta legantur, ita ut miraculum ne unum quidem ipse oculis usurpasse (id quod de colosso Rhodio deque Diana Ephesiae templo Orellius opinabatur), sed omnia „fama tantum et auditione uel aliorum scriptorum lectione“ accepisse videatur. Sed de his nunc non disputabo; id unum adfirmasse satis habeo, ex rebus a Philone commemoratis de scriptoris aetate probabile argumentum non posse sumi<sup>5</sup>. Omnis igitur disputatio in dicendi eius <sup>de rebus a Philone tractatis.</sup> forma.

gr. Lit. Gesch. II, p. 238. — Ch. Schubart. Fleckeis. ann. XCI (1865) p. 645. — A. Schoene. Fleckeis. ann. XCVII (1868) p. 820 »eine so spaete und unzuverlaesige compilation« sim. — Bernhardy. gr. L. G. I p. 640 in. Philostratorum aetati adscribere Philonem uidetur.

4 »Koloß von Rhodos«. Hambg. 1865 p. 14 in. »das schriftchen traegt den namen des mechanikers Philo von Byzanz — ; es wuerde als dessen eigentum unbedingtes vertrauen beanspruchen, wenn nicht ton und inhalt den Byzantier uns als Byzantiner erscheinen lieszen«.

5 Pristini illius miraculorum ordinis (cf. Antipat. epigr. in Anth. Pal. IX, 58. uol. II p. 12 Duebn.) memoriam quarto p. Chr. n. saeculo inter homines eruditos i. e. in sophistarum scholis institutos non obliteratam fuisse, notissimum Gregorii Naz. epigramma docet (AP. VIII, 177. uol. I p. 586 Duebn.). Ceterum ante tertium saeculum Philonis libellum scribi non potuisse certissimum est. nam

genere uersabitur. ac de eo ubi quaeritur, uerborum quae in libello conspicitur copiam uel maxime ualere manifestum est. etenim multas si legeris locutiones uitatas a ueteribus, contra apud recentissimum quemque scriptorem ualde usitatas, quin inferiori aetati liber adscribendus sit non dubitabis. et sunt eae dictiones in Philonis libello satis multae. sed cum ne his quidem quantumuis diligenter collectis cumque aliis aliorum scriptorum comparatis, ut res nunc se habet, ad certum de saeculo quo scriptor uixerit iudicium peruenire posse uidear: alia et grauiora magisque perspicua argumenta requiram.

*Tale autem, nisi magnopere fallor, uitandi hiatus  
qua Philo usus est ratio praebet. atque ea de hiatu  
quaestio grauissima est nimisque adhuc neglecta. Non  
dicam, id quod inter omnes conuenit, quantum ea ualeat  
cum ad corrupta multorum (ac profecto plurium quam nunc  
opinantur) scriptorum uerba emendanda, tum ad subditicia  
a probis internoscenda: id potius contendeo, in omni grae-  
citate simulatque cognitum erit ac perspectum, quemadmo-  
dum scriptor unusquisque hiatus uel uitandos esse uel  
admittendos censuerit, multo rectius quam fieri nunc potest  
non solum de rhetorum posse scholis et disciplinis, uerum  
etiam de aetate multorum, de quibus adhuc ambigitur,  
scriptorum iudicari. Quid enim? inde ab Isocratis aetate  
usque ad infima Byzantinorum tempora quicumque soluta  
oratione affabre scripsere, hiatus aut tolerarunt ubique,*

*cum secundo saec. terrarum miracula, quae Augosti aetate per  
omnium ora esse lata constat, obliuione fere obruta essent, eo de-  
mum tempore illorum memoria a sophistis ostentandae eruditio-  
nis causa resuscitata est. cf. e. gr. (Menand.) π. ἐπιδευτ. p. 445, 9  
sqq. Sp. — Julian. or. II. p. 107, 1 sq. p. 118, 5 sq. Hertl. — Hi-  
mer. Ecl. XIII, 11 (p. 26) et XX, 3 (p. 31 Duebn.). — Choric.  
Gaz. p. 149 fin. sq. Boiss. — Greg. Naz. or. in laud. Basil. XLIII  
p. 818 (uol. II. p. 580 A. Mign.) et eiusd. epigr. in Anth. Pal. VIII,  
177. 184 et apud Murator. anecd. Rom. p. 213 n. 225.*

aut — et hoc quidem saepius — uitarunt, diuersa praeterea diuersis temporibus ratione usi. quod casu accidisse ne dicas, apud omnes scriptores, dummodo quales quisque et quo loco hiatus admiserit satis accurate perspexeris, certam aliquam uitandi hiatus quasi regulam agnosci reputes. tales autem quas sequerentur normas suo quemque sibi iudicio arbitrioque elegisse scriptorem quis credet? Immo alia sunt aliis in rhetorum scholis data de uitando hiatu pracepta, seueriora partim eaque Isocrateis simillima, partim quibus post (uel ante) certas siue literas seu uocabula certis locis hiatum non ita uitiosum esse statueretur.

Ac Philo quidem in uitandi hiatus studio quid sibi <sup>quid Philo-  
nis pro-  
rium sit.</sup> haberet, recte his uerbis illustrauit Hercherus<sup>6</sup>: „Sero intellexi hiatum a Philone studiosissime uitatum esse, quippe qui illum post punctum quidem aut uirgulam aliquoties admiserit, sed nusquam praeterea, ne post articulum quidem uel *xai* particulam“. Verissime haec dicta esse ut ipse cognoscas, haec hiatus a Philone admissi exempla uide composita: prooem. § 2 *ai μημαι*. δ δε — 3. *παράδοξα*. Ο δε λέγω — διαλάμψη. Ο — I, 4. *μένει γῆ*. Άι δε — περιτροχάζουσαι, εις δε — II, 5. *ἐφάψασθαι*. Ή γὰρ (nonne ἐφάψεσθαι scribend.?) — III, 4. *ἐνάργεια, ιστορίας* δε — IV, 3. *ἐχαλκεύθη*. Υποθεὶς δε — 5. *σήκωμα*. ίνα δε — VI, 1. *εἰργάσαντο, ὅρεσι* (sed recte hoc loco lacunam agnouit Hercherus).

At in pausa alii scriptores uelut Plutarchus Polybius hiatum etiam rarius admiserunt. non nego, sed quis omnium omnes post *xai* particulam et articulos hiatus prorsus euuit? id quod ne Isocratem quidem eadem in omnibus orationibus cura persecutum esse nemo ignorat. porro quem quaeso proinde ac Philonem<sup>7</sup> ab omni qua hiatum uitaret

<sup>6</sup> Aelian. Porphyr. Philon. Byz. lib. Parisiis 1858 ed. Didot. adn. crit. p. LXX.

<sup>7</sup> nam paucis locis ubi praepositionum quarundam uocalem

elisione constat abstinuisse? inter prioris certe temporis scriptores inuenies nullum. Atqui miram hanc et, ut uidetur, singularem disciplinae seueritatem Philonis, insulsissimi hominis, inuentum non esse consentaneum est. unde eam sequi Philonem uitandi hiatus rationem cogitur, quam a sui temporis suisque ipsius magistris accepit. Talis autem disciplinae uestigia satis adhuc conspicua superesse anteaquam ostendam, fortasse non superuacaneum erit de <sup>qua ratione</sup> praeceptis, quae in hiatu uitando inde a secundo p. Chr. n. <sup>a II. saec.</sup> saeculo scriptores uidentur obseruasse, quid sentiam expōnere. paucis autem praecipua comprehendere satis habeo, de quibus explicatius eaque qua opus est accuratione alio loco disserere in animo est<sup>8</sup>.

Secundo saeculo cum ipsis principum opibus ac favore adiuta rhetorum studia nouum quasi impetum sumpsissent, quanta fuerit inter ipsos sophistas aemulatio, quantopere in eo omnes elaborarint ut nec opinatis quæstionibus propositis sua quisque orationis forma, suae artis nouitate et proprietate audientium gratiam sibi conciliaret, notissima res est. quae et ipsa fuisse causa uidetur, cur etiam de elocutionis, rhetorices partis recentioribus temporibus grauissimae, eis praeceptis quae sunt de hiatu aut uitando aut tolerando alii aliter statuerint. Et ipsis qui-dem Isocratis praeceptis qui tunc obsequi uoluerit video

finalem elisit exceptis (cf. praef. § 2. ἐπ' ἔκάστον; I, 3. ἐπ' ἀρούρας; — 5. δι' ἀλλήλων; II, 2 (et IV, 6.) κατ' ὀληγον; III, 4. παρ' ἄλλους; IV, 3. ἐπ' αὐτῆς; — ἐπ' ὄντος) duo tantum elisionis exempla repperi: VI, 1. ἀλλ' Ὀλυμπον et III, 2. διὰ τοῦθ' ή (nam IV, 2. ubi cod. Pal. praebet διὰ τοῦτο ὁ Ζεὺς, Herch. τοῦθ' ὁ proposuit, uide ne articulus delendus sit), qualis elisionis permagna apud omnes rhetores frequentia est.

8 de uariis rhetorum disciplinis e diuersa qua hiatus uitatur ratione agnoscendis quae hoc loco proferam, ea magnam partem in commentatione nituntur quam amplissimus noster philosophorum ordo praemio Welckeriano dignam iudicauit.

nullum. sed paullulum temperatam rationem secuti sunt Plutarchus Galenus Ptolemaeus et in nonnullis orationibus eisque summo opere perpolitis (ut in Panathenaica) Aristides; post breues uocales accentuque carentes saepius hiatum admisit Appianus; post breues omnes, acutas quoque Pausanias, quem quod singulari ratione hiatum uitasse nondum perspexerunt uiri docti, satis mirari non possum. diuersissimam deinde nec minus singularem regulam diligentissime obseruauit Callistratus, ad cuius similitudinem is proxime qui Charidemum scripsit dialogum inter Lucianeua perperam receptum, aliique nonnulli accedunt. Nolo hic omnes qui secundo saeculo scripserunt enumerare, unde nescio quid luci faciam: maiorem autem partem eorum quidem, quorum libros nunc legimus, uitiosum plus minus hiatum habuisse adseuero. sed etiam tunc fuisse qui hiatus illud uitandi studium non tam neglegarent, quam esse neglegendum existimarent, quippe quod omnem orationis uim infringeret sonumque deleret<sup>9</sup>, certissimum est. inter qnos ut alias omittam, unum nomino Lucianum<sup>10</sup>. Atque horum opinio ineunte tertio saeculo non conualuisse solum, uerum etiam cetera de hiatu uitando praecepta omnino submouisse e rhetorum scholis uidetur. hoc enim inde satis probabiliter posse configi puto, quod in omnibus quotquot extant libris ex arte scriptis, uelut Aeliani Philostratorum Herodiani

9 quam sententiam neminem reperio grauioribus uerbis aperuisse Demetrio egregii περὶ ἐρμηνείας libelli scriptore (cf. Rhet. Gr. III, p. 277, 32 sqq. Sp.);<sup>9</sup> quamquam etiam ille addidit (p. 278, 3 sq.) δέι δὲ (οὐχ) ἡχώδη ποιεῖν τὴν σύνθεσιν, ἀτεχνῶς αὐτὰ (sc. τὰ φωνητά) συμπλήσσοντα καὶ ὡς ἔτυχε· διασπασμῷ γάρ τοῦ λόγου τὸ τοιοῦτον καὶ διαφεύγει ξοικεν.

10 a quo praeter Charidemum abiudicandos esse qui Demosthenis eucomium, patriae encomium, Amores, Halcyon inscribuntur libellos uel ex ea ipsa re cognoscitur quod illorum scriptores hiatum summopere uitarunt.

Dionis Apsinis nullum reperitur, quantum nunc uideo, hiatus de industria uitati uestigium. Propter hanc autem licentiam nullis, ut opinor, cancellis circumscriptam cum deflectere rhetores a uetere elegantia uiderentur, insigni quadam conuersione factum est ut ad seueriora de hiatu praecepta ac propemodum Isocratea nonnulli redirent. quam mutationem, etsi quo auctore et duce facta sit nullo ueterum testimonio potest definiri, non dubitem tamen a Cassio Longino repetere. quem praeterquam quod nouam Athenis scholam aperuisse et apud omnes omnium temporum scriptores et auctoritate et fama ualuisse constat, longo temporis spatio interiecto primum uidemus talia quae dixi praecepta et edentem<sup>11</sup> et ipsum, ut par erat, obseruantem.

Haec uero mox a Iuliani Cappadocis et Prohaeresii, nisi fallor, auditoribus in omnium fere rhetorum scholis diuulgata, quarti et quinti saeculi sophistae ad unum omnes seuti sunt, ita tamen ut a nimia Longini cura ad maiorem paullatim licentiam, ut solet, delaberentur. Fuit autem Longini eiusque sectatorum in uitando hiatu ratio haece: summo illi studio hiatus fugiebant omnes, uitandos quidem esse, sed, modo raro ponerentur, tolerari posse eos putabant qui post *xai* et articulos, post (et ante) *η μη* (*δη*), deinde post breues uocales easque non acutas (sed rarissime nisi paucis uoculis exceptis post *v o i*) efficerentur, denique ubi quantulacumque pausa intercederet. In his igitur non ita multum abhorrese Longinum ab eis praeceptis intelleges quae Isocrates in forensibus orationibus sequenda existimauit. quamquam est profecto ubi different.

<sup>de Philonis disciplina.</sup> Qua autem ratione Philonis, ut ad eum tandem reuertar, de hiatu praecepta congruere dices cum Longini illis, siquidem ille nisi intercedente pausa nullum hiatum, ne post articulos quidem et *xai* particulam admisit? Verum

11 cf. Rhet. Gr. I, p. 306, 8 sqq. Speng.

enimuero in alia eaque posteriore schola, quae inde ab altera quinti saeculi parte innotuisse uidetur, talia de hiatu uitando docebantur. ecce Eustathius, eroticorum scriptorum ut aetate infimus ita dignitate, saepissime in pausis, praeterea nusquam hiatus tolerauit<sup>12</sup>. id ipsum ergo quod Philonis uidebatur proprium esse apud Eustathium deprehendimus, nisi quod hunc ex ipsa hiatus in pauca frequentia ex eoque quod post *και* et articulos eum non plane fugiendum duxit idem praeceptum aliquanto Philone licentius secutum esse intellegitur. At non est cur ad Eustathium descendas, quoniam plana eiusdem disciplinae exempla apud scriptores extant Eustathio multo priores. Libanii euolue <sup>de nonnullis</sup> Reiskiani uolumen quartum. quo nescio quid aptius repe- <sup>μελέτας</sup>  
<sup>eadem ratione conscriptis.</sup> riatur ac locupletius ad diuersa diuersorum rhetorum cum alia tum de hiatu praecepta internoscenda. In hac igitur farragine — nam a Libanio omnia, aut plurima saltem scripta esse nemo puto contendet — sat multa insunt pro gymnasymata quae uitandi hiatus simillimam, nonnulla quae eandem praestant atque quam Philonem obseruasse uideamus rationem. quid multa? declamationem *Αρχίδαμος* inscriptam (p. 420 sqq.) qui composuit, eum studiosissime uitasse hiatum apertum est. ubi tamen admissum uides? „post uirgulam aliquoties aut punctum“, sed ibi quoque perraro, nusquam alibi. quin etiam ne id quidem ab hoc scriptore concessum est, quod ipse Isocrates saepius, frequentissime Demosthenes commisit, ut breuis quae antecedebat uocalis elisione hiatum fugeret. cuius elisionis haec tantum exempla reperio p. 423, 18 *οὐδὲντες* *ἴνα* (et ita scribend. p. 422, 32 *οὐδὲντες* *εἰναι*), p. 424, 10 et 427, 10 *οὐκ οὐδὲντες* *δημως* formulam frequentatam, p. 428, 4 *οὐδὲποτε* *ἄντες*; praeterea nonnusquam *ἀλλ'*

12 paucissimis fortasse exceptis, de quibus ab Herchero, cum ceteroquin uerissime de Eustathio iudicauerit (in *Erotic. Script. Graec.* uol. II Lipsiae 1859 editi praef. p. XVI sqq.), sententiam omni ex parte ueram latam esse negauerim.

(cf. in Philonis lib. cp. IV, 1. ἀλλ' Ὁλυμπον), et in quibusdam praepositionibus, ubi Philonem quoque haud ita raro elisione usum fuisse supra (not. 7) monuimus. quo accedit quod sicut Philo, ita Archidami scriptor et articulis<sup>13</sup> uocalem et *και* particulae<sup>14</sup> subiungere uitauit. itaque non ita multum interesse inter utrumque scriptorem manifestum est. Eiusdem autem generis est quae hanc excipit declamatio (p. 430 sqq.), eiusdem quae *Ρήτορος λόγος* inscribitur (p. 512 sqq.), omniumque si quid uideo Philonianae simillima (p. 739 sqq.) τυφλοῦ φιλοπάτορος ἀπολογία.

Sed his licet recte probauerim non unum Philonem proprium quoddam de hiatu praeceptum obseruasse, restat demonstrandum, quapropter illud ante quinti saeculi partem posteriorem in usu fuisse negem, quoniam quas adtuli scriptiunculae quo tempore conscriptae sint minime constat. At non omni nos aetatis indicio destitutos esse existimo. praemissa enim singulis declamationibus bina sunt quasi prooemia, quorum priore „θεωρίᾳ“ argumentum declamationis, altera „προθεωρίᾳ“ quid sibi uelit et quomodo tractandum sit argumentum, qua ratione dicentis persona instituenda scriptor<sup>15</sup> exponit. subiungitur alterutri μελετῶμεν τὸν Ἀρχίδαμον, τὸν δῆτορα sim. Talia autem prooe-

13 unum est exemplum p. 422, 5 ή έμή (in ceteris eius pronominis formis ab huius disciplinae scriptoribus crasi adhibita hiatus uitatur τούμοῦ τῷμῷ τὴμῷ sim. eodem modo ὁ αὐτός et ὁ ἄνήρ interdum, sed semper ταῦτόν ταῦτά τὰνδρός τὰνδρέ al. scripsere.). altero loco p. 426, 11 pro τῇ ήλικίᾳ sine dubio scribendum τὴν ήλικίαν commatis signo post eam uocem deleto.

14 duobus his locis legitur p. 425, 18 καὶ ὀκνηρότερον et 427, 16 καὶ οὐ δεῖ . quod addendum putaueris p. 425, 26 καὶ ὡς pauca intercedente excusat, aliisque locis crasi scriptor usus est p. 425, 8 et 16 καὶ μέ — p. 425, 11. 426, 24 καὶ — 427, 28 καὶ γώ.

15 nam ab illo ea prooemia praemissa esse documento id quoque est quod eodem modo atque in ipsa declamatione hiatus in eis uitatus est.

mia eadem ratione conformata pluribus uidebis μελέταις antecedere<sup>16</sup>, sed eis quae eadem fere uitati hiatus rationem praestant. et inter illas duas sunt a Choricio scriptae Πάτροκλος (p. 80 sqq. = Choric. p. 239 sqq. Boiss.) et Παιδοκτόνος (p. 771 sqq. = Choric. p. 205 sqq.). Iam ceteras omnes, quibus idem prooemium eademque propria est in componendis uocabulis accuratio, etiamsi Choricio, donec alia uel testimonia accedunt uel argumenta, adtribuere equidem non ausim: id tamen negari non posse confido ex eadem omnes rhetorum schola ea que cuius particeps Choricius erat profectas esse. quae si uere conclusa sunt, apud Choricii aequales sociosque idem de hiatu praeceptum ualuisse necesse est. nec me frustratur opinio. neque enim aliter Choricii magistrum scripsisse reperies Gazaeum Procopium neque Aeneam<sup>17</sup> nec denique, quod miror Hercherum, uirum perspicacissimum, non satis intellexisse, Aristaeenum qui haud secus atque illi mirum quantum operae in eo posuit, ut ne in uerborum continuatione hiatum efficeret, ita ut ubi nunc hiatus est pausa non intercedente (breuem licet aut longam uocalis sequatur), ibi uerba aut ex alio scriptore adlata esse aut corrupta adpareat.

Gazaeae huius — ita enim nominanda erit — disciplinae quis auctor fuerit nescio, at Philonem non dubito tempus Philonis definitur.

16 eae sunt praeter nominatas p. 80 sqq. Πάτροκλος. — p. 110 sqq. Μελέτη Ὄρεστους. — p. 502 sqq. κατεγγωσμένου λόγος (p. 640 sqq. ἀποκηρυπτομένου λόγος et p. 654 sqq. φιλάργυρος ἀποκηρύττων unius ni fallor scriptoris sunt, sed qui praeceptum aliquanto licentius obseruauit) — p. 771 sqq. πατρὸς τὴν ἑωτοῦ παιδα ἀποσφάξαντος ἀπολογία. — his nescio num adiungendae sint p. 582 sqq. κρινομένου φόνου ἀπολογία et p. 798 sqq. ἡ φιλόπολις: earum enim προθεωρεῖαι hiatus scatent et tempore multo recentiore scriptae uidentur, ipsae autem declamationes paullulum a scribendi quae in ceteris conspiciuntur ratione abhorrent.

17 quamquam in pauza is saepius hiatum admisit, id quod de Aristaeeno quoque moneam.

prioribus eius scholae sophistis adscribere. quod ut contendam duabus potissimum causis efficitur, altera quod, quoscumque posterioribus saeculis idem praeceptum secutos cognoui, apud eos permagnam hiatus in pauca atque post *xai* et articulos admissi frequentiam esse animaduerti, altera quod alia quaedam Libanio quae tribuebantur progymnasmata in quibus eadem ac qua Philo usus est scribendi ratio deprehenditur, certo priori cuidam rhetori adjudicari possunt. Quorum duo quidem a quo scripta sint nondum repperi nec poterunt fortasse scriptorum nomina indagari; tam uilia enim tamque inepta sunt ut a praestantiore sophista ea non credam profecta esse<sup>18</sup>: tertium autem (p. 1074 sqq.) ἐγκάμιον φοίνικος ἡ μηλέας Walzius non uidit inter Nicolai sophistae progymnasmata (Rhet. Gr. I p. 329 sq. W.) legi, quem (praeter Seuerum Alexandrinum) permulta intellego Libanii nomine nunc insignita composuisse. atque quas Libanii et Nicolai codices praebent lectionibus inter sese conlatis, quicumque aliquid uidetur offensionis habere hiatus remoneri cognoscet. in Nicolai autem declamationibus fere omnibus, tametsi eadem sunt atque Aeneae Procopii Choricii Seueri al. ratione scriptae, plerumque tamen maiore cum diligentia, paucis locutionibus exceptis, etiam post *xai* particulam et post articulos hiatus uitati sunt.

18 declamatio prior ἡθοποια est p. 1021 sq. una cum ea quae proxime antecedit male inter alias generis progymnasmata inserta. u. 8 sq. scribendos puto καὶ προϊδεῖν οὐ δύναμαι. τι δ' ὑπὲρ εἰρήνης ἡν ἐκκλησία; τῶν συνιόντων ἐγενόμην. εἴτα πόλεμον ἡπειλησαν οἱ δῆτορες· (ῶν?) ἀσ βέλη πολέμων φεύγων τοὺς λόγους ἔθεον οἰκαδε. ubi praeterea hiatus leguntur u. 16 μένει ἥσυχον, p. 1022, 5 τὸ εἶδος, u. 10 τοῦ ἔργου item lectio aperte corrupta est. — in altera p. 1122 sq. »Θεόφραστος ἐρωτηθεὶς τι ἔστιν ἔρως, ἔφησε «πάθος ψυχῆς σχολαζούσης« inscripta apostropho utaris p. 1122, 8 τι ποτ' ἄρα (cf. 1124, 26 τι ποτ' ἄν) — p. 1123, 8 μηδ' ἐπι — 1124, 11 ἀρ' οὐκ (ut u. 14). — 1125, 9 δ' ἄν. nec p. 1122, 12 τὸν "Ἐρωτα ἔγνωμεν nec p. 1123, 12 καὶ εἰκότως (fort. κ. μάλ' εἰκότως) suspicione carent.

Quodsi — ut cetera quae in promptu sunt haud minoris momenti argumenta propter rei, ut spero, perspicuitatem omittam — adfirmari pro certo potest, ante quinti saeculi partem posteriorem non fuisse qui in pauca quidem, sed praeterea nusquam hiatus tolerarent, eam ipsam autem propriam Gazaeae disciplinae rationem uideri, porro inter illos sophistas maiorem priores operam in eo posuisse ut ne post articulos quidem et *xai* uoculam, quantum quidem fieri posset, hiatus existeret: Philonem libri *περὶ τῶν ἐπτὰ θεαμάτων* scriptorem exeunte quinto uel ineunte sexto saeculo uixisse censeo.

---

## Scriptor de uita sua.

Natus sum Hermannus de Rohden Barmis anno h. s. LII d. 21 mens. Febr. Ludouico patre, matre Ludouica de gente Wachsmuth, quam me infante praematura morte ereptam lugeo. Fidei addictus sum euangelicae. Quinque annos natus Lubecae in patrui domum receptus sum, cuius uiri, de me meisque optime meriti, memoria pio mihi gratoque animo semper erit ueneranda. Literarum primordiis Grautoffio duce imbutus inde ab a. LXII gymnasii Lubecensis egregia usus sum disciplina. Ibi praeter Breierum rectorem, Dettmerum, Mantelsium, viros in me humanissimos, harum potissimum literarum in me excitasse amorem Augustum Baumeister libens profiteor. Verno a. LXX tempore cum Rhenanam hanc literarum almam sedem petiisse, paullo post bello Francogallico exorto ad arma properau contigitque mihi ut gloriissimi illius belli maiori parti ipse interessem. In patriam redux studia intercepta de integro repetitus autumno a. LXXI Bonnensem iterum subii disciplinam, cui per annum intercessit Lipsiensis. Docuerunt me Bergk Bernays Buecheler Hiller Iusti R. Kekulé I. B. Meyer Menzel Schaefer Springer Varrentrapp Usener Bonnenses, Curtius R. Hirzel Iordan Lange Philippi Ritschl Lipsienses. Ut seminarii philologorum Bonnensis sodalis per sex menses ordinarius essem, Buecheleri Heimsoethii Useneri, ut per annum Lipsiensis, Curtii Langei Ritschelii beneficio factum est. Seminarii archaeologici participem per tres annos me uoluit Renardus Kekulé admittere, auctor studiorum meorum fautorque beneuolus. Praeterea exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologicis

Bergk Buecheler Hiller Philippi, philosophicis Meyer, epi-graphicis Buecheler Kekulé, Vasarianis Iordan Iusti, societatis philologae ut sodalis ordinarius essem Ritschelius. Qui uiri ut eximie omnes de me meriti sunt, ita in primis cum Springer et Philippi, tum nominandi sunt Franciscus Buecheler, Renardus Kekulé, Hermannus Usener praceptoribus dilectissimi, quibus de beo quidquid in hoc literarum genere praestitero.

## Sententiae controversae.

---

### I.

Callimachi epigrammatis 47 (46 Mein. — cf. Fleckeis. ann. CIII 1871 p. 192) extremi uersus recepta uerissima Bentlei coniectura ita legendi sunt:

ἔσθ' ἀμῖν χά παστὰς ἀφειδέα πρὸς τὸν ἔρωτα·  
τουτεῖ ναὶ κείρεν τὰ πτερά, παιδάριον.  
οὐδὲ δόσον ἀπαραχόν τν δεδοίκαμες· αἱ γάρ ἐπωδαί  
οἶκοι τῶ· χαλεπῶ τραύματος ἀμφοτέροις.

### II.

Isigonum Nicaensem, cuius περὶ ἀπίστων libros apud omnes qui secuti sunt mirabilium scriptores maximi momenti fuisse Val. Rose recte perspexit, auctore in primis Antigono Carystio usum esse neque euicit Erwinus Rohde (in act. soc. phil. Lips. I p. 29 sq.) neque omnino demonstrari potest.

### III.

De ipsa quae Antigoni Car. nomine inscripta extat ἴστοριῶν παραδόξων farragine recte adhuc a nemine iudicatum est.

### IV.

Quae inter Themistii orationes fertur tricesima „Θέσις εἰ γεωργητέον“ spuria est.

### V.

Aristotelis qui dicitur περὶ κόσμου libellus si non ab ipso Apuleio (Adami quidem argumenta nemodum euertit), certe non multum ante illius aetatem scriptus est. quicumque autem libri illius versionem ab Apuleio neglegenter factam opinantur, et Hildebrandi et priorum editiones ex pessime corruptis codicibus fluxisse non animaduerterunt.

### VI.

Non priore (cf. Roberti diss. p. 41), sed posteriore

alterius p. Chr. n. saeculi parte bibliothecam Apollodorus conscripsit.

## VII.

Eidem saeculo exeunti et Callistratum ἐκφράσεων scriptorem et Xenophonem Ephesium adscribendos esse certissimis demonstratur argumentis.

## VIII.

Philon. Byz. π. τ. ἐπτὰ θεαμάτων l. cap. I 3 scriendum τῇ χέρσῳ παραπλησίως ὡστε τὴν ἀρόσιμον ἵπτερο κεφαλῆς εἶναι (cod. Palat. παραπλησίως τὴν τε ἀρόσιμον. — τ' corr. Herch.).

## IX.

Aristaeneti locus (I, 3 Epistologr. gr. p. 135, 24 sqq. Herch.) male corruptus nec satis intellectus ita fere emendandus est ἐπὶ τοίνυν τοὺς πεπανθέντας δι μὲν ἀνερριχάτο, δι δὲ ἀπὸ τῆς γῆς ἀρθεὶς ἵκανον ἄκρα μὲν τῇ λαιῷ σφοδρῶς εἴχετο τοῦ φυτοῦ, βεβληκὼς (τὴν χεῖρα; αὐτὴν;) ἐπὶ τῶν κλάδων, τῇ δεξιᾷ δὲ παρετρύγα, δι δὲ ὑπὸ τοῦ δένδρου χεῖρας ἀρεγε τῷ γεωργῷ (aut τοῖς γεωργοῖς), ὥσπερ γεγηρακώς.

## X.


Caput περὶ μνήμης (Rh. Gr. I p. 312 sqq. Sp.) etsi ipsius artis pars certo non fuit, tamen cur a Cassio Longino abiudicetur causa nulla est. contra περὶ ὕψους libellus post Vespasiani tempora compositus esse nequit.

## XI.

Dialogus Ἐρωτεῖ inscriptus nec Luciani est neque quidquam quo uel rectius de Praxitelia Veneris statua uel accuratius existimetur impertit.

## XII.

In gymnasiis qui docturi sunt, ei in artis, praecipue Graecorum, cognitione oportet uersati sint; separatae autem scholae, quibus artis uel historia tradatur uel opera explicitur instituenda non sunt.









Gp 50.105  
De mundi miraculis quaestiones sele  
Widener Library 006782091



3 2044 085 145 092

